ROMANAE ÆDIFICATIONES

curatæ à

LAELIO BISCIA

ex Clerico Camerali S. R. E. Cardinali

à

LEONE ALLATIO

Conſcriptæ.

Ad

Illuſtriß. & Reuerendiß. D.

D. GEORGIVM CORNELIVM
EPISCOPVM PATAVINVM,
Comitemq; Saccenſem &c.

PATAVII,
Typis Sebaſtiani Sardi. M. DC. XLIV.

Superiorum permiſſu.

Illustrissimo & Reuerendissimo

D.D. GEORGIO CORNELIO

EPISCOPO PATAVINO,

Comitiq; Saccensi &c.

Iacobus Tomasinus Felicitatem precatur.

EXcerpserat, nonnullos abhinc annos, Illustriss. & Reu. Præsul facta, & dicta præcipua Clarissim. Hominum, qui non virtute modò, sed eruditionis, & disciplinarum laude, nostræ Vrbi gloriam, & nomini suo immortalitatem peperere, & eorum Monumenta litteris mandauerat Iacobus Philippus Thomasinus Patruus meus, nunc Hæmoniensis Episcopus: cuius pietate & facundia nomen, nullam habens stabilem sibi sedem, grata

nunquam filebit posteritas. Quo plausu Opus illud à litteratis hominibus exceptum, & quàm benè de illius ingenio existimatum fuerit, plenæ sunt illustrium Scriptorum chartæ, & florentissimarum Academiarum monumenta testantur, vt planè ipse in illius laudibus elinguis sim. Hic itaq; cum de Secunda eiusdem Operis parte meditaretur, & facta Illustrium, non inani vulgi rumore, sed vera fide dignorum Hominum fama contestata conquireret, vt vel iam emortua reuocaret in vitam, vel mox perituris opem ferret: ecce non inopportunè in manus suas aduenit, Leonis Allatij, cuius Viri ! de Ædificationibus Romanis *Commentarius: quo ille Romano stylo non exiguos de Republica christiana benè merendi Lælij Bisciæ Cardinalis labores, & singularem vniuersis benignè faciendi industriam æternitati, æternitate ipse dignus consignauerat. Eum*

in

in rem magis suam, & Reipublicæ litterariæ ratus futurum, si ante Elogia, vt vi erat, ederetur in vulgus, illius editionem maturauit, vt in rebus difficillimis exponendis nostram hanc ætatem habere etiam suos Auctores, quos toti fere antiquitati contraponeret, nisi iniquiores esse velint, omnibus palam fieret. At in re periculosissima de Patrono diutius disceptatum est, qui maiestatem sustineret Operis, & aduersus inuidentes, mordentesq; clanculum defenderet. Inter tot & dignitate generis, & scientiarum possessione præstantissimos occurris vnus opportunissimus itẽ, atq; aptissimus. Nullius enim magis & in Patruum meum, & in me, meamq; domum beneficia, & in Auctorem ipsum officia constant. Annon certum est inter omnes Corneliorum gentem post stemmata regia, Rerum publicarum summos Magistratus, magnas diuitias, maximas

opi-

opimitates, prospera & fortunata facinora, & quidquid apud mortales in admiratione est, ingenijs quoq; summis præditam, Opera suo ipsam modo in medium protulisse, & de alienis etiam iudicium integerrimum non sine laude dedisse? Hinc & in Ecclesiastica politia non exiguis muneribus defuncta, vberes fructus, non in propria, sed aliorum, quibus cumulatissimè prospicit, commoda consecuta est. Vt Præsules alios mittam, septem è Cornelia gente, rarum ac propè insolitum! purpurati Patres clarissimo lumine intentis tenebris obsequiosis populis præluxere: & qui nunc reliquos superat sub eodem succo Venetæ Commoditatis Princeps amplissimus inuigilat Federicus Patruus tuus, quo nec ingenio prudentior, nec iure peritior, nec fide, nec religione sanctior quisquam commemorari potest; & quem Ipse absoluta similitudine exprimis, ægrè ferens inter tot

exem-

exempla domeſtica virtutum Te quoq; nō inter prima collocari. Sed vide quònam ego tantæ dignitatis maieſtate ſenſim raptus ſim. De quibus, modeſtiæ tuæ conſulens, abſtinere ſermonem propoſueram, mens deuincta beneficijs, taciturnitate ſua tecta eſſe non patitur: ſed impetrabit in tuas virtutes, ac merita nimiùm propenſa veniam. Idq; vt faciliùs ſibi repetat, finem dicendi faciam, ſi id inter alia innumera apud te inueniam, vt Auctor noxiam hanc mihi commeritam tuâ operâ omittat, qui eo inſcio, & prorſus, ſi idſciuiſſet, repugnaturo, Commentarium hoc euulgo: & quod ille ſibi tantum pro memoria humaniſsimi Principis conſcripſerat, ipſe ſub tuo patrocinio omnibus typorum beneficio ad communem vtilitatem confero. Patau. Cal. Aug. M. DC. XLIV.

CAPVT. I.

Homo ex corpore, & animo compositus, rebus mortalibus despectis immortalitatem anhelat. Eam alijs benefaciendo consequitur. At dubiũ est, quibusnam officijs paretur. Principes ædificijs, ac molibus, non ad luxum, sed ad vsus humani generis exstructis, sibi comparant. Illis etenim veluti in theatro virtutes omnes suas commõstrant. Id tamen nec ipsi possunt sine fidi Administri ope, quod videtur omnium difficillimum. Paulus V. vt in alijs, ita & in hoc fortunatissimus, qui præter opes, Lęlij Bisciæ ministerio vsus est BISCIAE prudentia, & in exequendo iussa Principis fides. Illius vigilantiâ Roma senium exuit, in meliorem prospectum data, omnium vnâ approbatione. De Roma restituta Epigramma.

COrpus hominis mortale, vitæ curriculo breui corruptioni obnoxium, vnà cum lucis huiusce fugientis amissione memoriam omnē sui, duris circumseptā cācellis, in obscurissimas tenebras abdit; nec illi tot exhausti labores, tot periculorum summa cum laude deuicta certamina tanti fuêre, vt vel ab obliuione defenderent, vel mortalitas illa vitæ socia post mortem nomen etiam non comitaretur. Duram humani corporis conditionē, cuius semper viuam mortalitatem noua mortalitas excipit.

Animus verò, corpore nobilior, corporeis rebus despectis, dum rectè agit, præclarorum monumentorum laude, quibus ad immortalem illam gloriam anhelat, floreścit, & dum ex virtute viuit, finis vitæ cum corpore non in infortunio, neque in pœna, sed in summa felicitate putatur. Quippè terrena hæc, & mortalia diuinis illis, atq; incorruptibilibus, dum Deo fruitur, compensauit. Qui solus, non alius veræ virtutis fructus est.

Verùm enim verò, cùm nō tantùm nobis nati simus, sed alijs etiā hominibus, quos nobis vna fides, & societas coniunxit, mentis nostræ acies, & animi conatus aliò quoq; dirigendi sunt, ne Deo, ne humanitati, ne nobis ipsis defuisse videamur. Implebimus itaq; partes nostras, si rebus præclarè gestis, posteritati exemplo dum sumus, nobis post hanc vitam immortalitate comparata memoriam nostram quàm lōgissimam effecerimus, ita vt & absentes adesse, & mortui viuere videamur.

Quid nutas ò homo? quid humi repis? cælum tibi patria est, post ipsum Deum virtus ipsa tibi in animo sit, conatus illuc omnes tuos dirige: sed videātur ab omnibus, sentiantur ab omnibus, vt quantum tibi quietis, ac

somni

somni detraxêre, tantum afferant laudis, tantum protrahant memoriæ diuturnitatem.

Non omnibus id datum est: neq; idē remex, & agricola, idem potentiores, & quos vberiore fortuna cęlum aspexit, licèt enixè ferantur, assequi possunt. Fateor sequiores homines virtute, pietate, gloriâ, quantum possunt, plus, minus viuant: nullus mihi sermo cum his, sed illis id dictum, quibus plus est in manu, diuitiæ luculētæ, amplæ facultates, imperium summum, fidi administri, vno verbo, summis principibus; namq; sicuti viribus, & dominatione cæteris præstant, ita & longiorem sui recordationem, & monumenta præclariora vastioris animi cogitatione perficere debent. Hæc scilicet eorum animi simulachra, virtutumq; imagines perennem apud posteros memoriam seruant, excitantque alios, vt simili ratione de genere humano mereantur.

Sed diu mecum, multumq; dubitaui quænam potior virtus in principe, & qua nā re diuturniorem sui memoriam posset efficere. Religione, pietate, humanitate, liberalitate, iustitiâ, prudentiâ, fortitudine immortalem gloriam parari certum est: fructum earum amplissimum apud Deum positum scimus, inter mortales etiam iucundissimum, à quibus vti benefactor colitur, eiusque beneficentia in cordibus hominum, non in lapide incisa, semper commendata repullulat.

Verùm vbi fatis Princeps cōcessit, & homines, quibus cum benè actum est, mortui fuerint, memoria etiā eorum commoritur, & licèt apud Deum semper virescat, in hoc terrarum orbe extinguitur, & consumitur vetustate.

Ideo potiora semper illa existimaui, quę pręsentibus prosunt, & futuris, semperq; viuam Principis imagi-

nem præferunt, non minùs, ac dum viueret, dilecti. Ea sunt publica ædificia, non ad fastum, sed ad vsum, immẽsis pecuniarum sumptibus exstructa, his etenim beneficium non vni, sed omnibus, sed absentibus etiam prolixè, cumulatèq; defertur.

Hic & magnificẽtiam Principis, & liberalitatem, & religionẽ, & reliquas omnes virtutes, si quæ sunt, vnico aspectu poteris vsurpare: cõsilia item cõtemplari. Surgit immanibus substructionum fundamentis temeraria parietum moles, & in nubila se inserens, supremi apicis fastigium Deo, diuisq; sacratur, Principis illud religio, Principis pietas construxit. Perfossis mõtibus, æquatis conuallibus, ingentes arcus per infinitum spatium, quà excurrẽtes, quà inflexi aquas corriuatas, atq; emendatas in vrbes prodigè inferunt. Hìc horrea, illic æraria tantis impẽdijs facta fateberis, nihil humanius, nihil liberalius in toto orbe terrarum fuisse, Principis largus animus, vasta cõsilia absoluerunt. Theatra amplissima, fora exhilarata, viæ apertæ & dilatatæ, mõtes deliniti, non ad vsus tantùm, sed ad voluptates, nonnè magnificentiam, prudentiam, fortitudinem arguunt?

Quid prodest hominibus Milo Crotoniates, quòd fuit inuictus, vel cęteri eo genere victores? Quid nobiles Athletæ, nisi quod dum vixerunt, solemni Græcorum conuentu, cum palmis & coronis tulerũt laudes, nobilitatem compararũt. Hęc etiam vnà cum vita, & memoria hominum tum viuentium mors vna cõsumpsit. Aeneæ pietas, Alexandri continẽtia, Themistoclis in patriam amor, Cæsaris victrices manus, Græcorum, Romanorum, cæterarumq; gentium virtutes iam latuissent obscuræ, iam cum illis emortuę, nec scintillam vllam alicui ad aspiciendum reliquissent; nisi monumentis

mentis his, ac machinis ęternis à cimmeriis tenębris vindicatæ, etiam num omnibus gentibus recentes, & floridos fructus redderent.

Hęc sunt, quæ & viuenti Principi amorem conciliant, & ab eius fato comitem illius memoriam vnà secum habent, quę iam tot annorum spatio, & iteratis hominum contemplationibus, iterum atq; iterum renata, & confirmata nullum in posterum finem metuit, nulla deletur obliuione, sed grata auribus memoria, amica animo recordatio, vitę Principis breuitatem reparat iucunda apud mortales fama celebrata. Hęc illa vita est, quę sęculorum memoria viget, quam posteritas alit, ipsaq; tuetur ęternitas. *Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc est ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales Numinibus adscribantur. Quippe & omnia aliorum nomina Deorum ex hominum nata sunt meritis*, patens naturæ æstimator enunciauit Plinius, audaciùs ne an veriùs? singularem Principum felicitaté, nō angusto vitæ spatio, sed æuo, atque æternitate commensuratam! Felices eos, quibus tantum immortalitatis splendorem fata non inuidêre. Felices ter & ampliùs, quos ab illius gloriæ cupiditates, vel fœda auaritia, vel pusillus animus, vel iniqua Ministrorum perfidia non distraxit.

Sed Princeps ipse vel auaritiam excutiat, vel mentem erigat, Ministrorum certè fidum animum, manus intemeratas, & consilium prudens, solersq; ni ita illi comparati sint, nunquam efficiet, ò damna, ò scelus! Princeps profusa largitate agenda imperat, sumptibus licèt enormibus nō parcit, imperium, si quod est, ministro largitur; si ministro inepto commiserit, sumptus

omnes,laboresq;& consilia ipsa ruent in cassum, neq; opus confici poterit,& confectum,quia distortum,dedecori potius, quàm laudi tribuetur. Ita post impendiorum largas profusiones inglorij aliorum inertiâ Principes iacent. Ideoq; fortunatissimi semper habiti sunt,quibus cum copiis,ac animo, fida vnius Administri, prudensque virtus accesserit.

PAVLVS V. amenioribus Italiæ temporibus,nullis cladibus,nullo bello fędatis, summâ opum vi, &, vt ita dicam,prodiga in populi comoditates mente, multas ædificiorum moles aggressus,haud longo temporis spatio vno fidissimi, prudentissimique LAELII BISCIAE consilio, solertiaq; magna cum voluptate absolutas vidit. Magnus opibus,grădior animo, LAELII ministerio maximus. Vix sensus mentis effatus,ab oculatissimo non exceptos,sed peractos miratus est. Quęnã vrbis pars tantam Principis in erogando magnificentiam , tantam Administri in exequendo prudentiam non fatea ur? Quisnam populi vsus non expressam Principis liberalitatem ac pietatem, non integram Curatoris solertiã ac fidem præseferat? Aderat is in magnis rebus, eiusq; consilio Pontifex non anceps mouebatur,ardua munia ac difficilia per eum administrata sunt:quæ quidẽ ille fideliter obeundo, crudelissima sæuientis in populos fortunæ iacula retorsit,temporisq; vitia leniuit perspicaci prudentia , & ingenij multa simul agitãtis celeritate: itã vt sæpe numero inopinatè ingrnentia, tumultuaria quoq; vtilis cõsilii ratione expedierit:quæ,quãtùm Reipublicę profuerint, cõmodiori stylo,si Deus dabit,aliàs prosequemur. Nũc eã dicere in animo est,quæ ipse,dũ Curator esset Viarum Aquatumq; ex animo Principis perfecit, quæ &

mul-

multitudine, & magnificentia ea fuêre, vt Veteris Romæ nomen desierit, Nouę illatum sit.

Memini, cùm aliquãdo apud Perettos Principes comœdia ageretur, scenâ ductili reuolutâ, vt quę tũ esset renouatą Romę facies spectatoribus, in pictura repręsentaretur; statim vt apparuit, ab omnibus, qui tũc aderant (aderant verò multi Romanę Curię Procęres, & ex media, imaq; plebę non pauci,) vno ore acclamatã est, BISCIA, BISCIA: quasi eius vigilãtia, & cura Roma ambagibus antea plena, & aspectu humili, ac nutãti in splẽdorẽ illũ, ac formã amplissimã traducta fuerit.

Et certè si quis in Urbis amplificationem, & formã, quã Biscia contulit, absoluitq; sincerè consideret, deprehendet, spectatores illos communi plausu rem seriam, & veram expressisse. Quod etiam Topographię Veteris Romę cõparatione, antequam Biscia in eius ornatum operã cõtulisset, & subsequẽtis post eius studiũ in eã reparãdã impensũ, liquidò manifestum erit.

Nemo enim, quę multorum fuit sententia, ab exordio ipso vrbis ad illud tempus inuentus est, qui breuissimo tempore, tot ac tanta in restituẽdã vrbe, vel molitus fuerit, vel confecerit. Et hîc, siue cis Tyberim intra Latii fines, siue vltra Tyberim ipsũ in Tuscię ora animi relaxandi gratiâ spatieris, BISCIAE monumenta nusquam non se se offerunt. Hinc enim via altera patefacta, altera dilatata, hinc ardui cliui iam exęquati adeuntem excipiunt; fontes inde recreant; ędificiorum regii sumptus exhilarant; & semper pręsentemÁrsciam oculis obtendunt.

Hęc cũ cõsiderarẽ, maiestate Aedificiorũ; structurarũq; pellectus, & iis, quasi spirãtiũ Auctoris imaginũ aurâ afflatus, repẽtè Poeta factus, carmẽ illud effudi

Perspicuas dum curat aquas, dum sternit apertas
Mille vias, Pontes Biscia dum reficit:
Exuto plaudens senio pulcherrima Roma,
Hæc è septenis verba dedit tumulis:
Alterius si me auspicijs tantum optime LAELI,
Exornas; facies, quid rear, ipse tuis?

Hæc itaque trádere literis, ne vel posteri sibi tribuant, vel apud eos solertissimi Curatoris memoria intereat, vt vt potero, simplici, ac vera rerum narratione enitar. Alij stylo grandiore reliqua Aedificia, & hæc, quæ nos describere conati sumus, expedient.

CAPVT. II.

Aquis imponendorum nominum diuersa ratio. Aqua Felix *à Sixto V. conducta, fraudibus intercepta possessoribus, querelarum causa erat. Biscia commissum à Principe negotiũ sic exsequitur. In hortis Columnensibus* Castellum *exædificari curat, duobus vasculis distinctum: minori, vt quidquid limosi aquæ deferrent, exoneraretur: maiori, vt fistulæ, & canales aquæ distributæ connecterentur, quæ adeò perpoliuit, vt nullus fraudi locus remãserit: adeoq; modulus iste librãdarum aquarum arrisit, vt ad hunc diem nullus præter illum alius mensurandarum aquarum mouetur.*

dus seruetur. Hac ratione fontibus publicis aquæ restituta sunt. Fontes alij per multi quà reficiuntur, quà de nouo exstruuntur.

AQuis in vsus Populi Romani, vel Fontes; vel Lacus, vel Inuectores, vel casus nomen dedêre, Anienæ, Sabatinæ, Alsietinæ, Cæruleæ, Claudiæ, Marciç, Virgini, Tepulæ. Eæ etiam sæpe numerò primis nominibus immutatis Instauratorũ nomina sibi adsciuerunt, sic Marcia dicta est Aufeia, item Traiana: Alsietina, Augusta: Alexandrina, Neroniana: Sabatina, Aureliana. Posterioribus temporibus Aqua FELIX, id nomen erat Sixto V. antequã summus Pontifex toti terrarum orbi præesset. Is ingentem aquæ copiam, non solùm publicis vsibus, sed priuatis etiam voluptatibus, venis amplissimis inuentis, compluribusque alijs scaturiginum compendijs, collectioneque sinuoso ductu, arcuataque substructione, per millia passuum duodecim FELICEM nũcupatam, ex agro Collumnæ via Prænestina, sinistrorsum cõduxit, Montis Quirinalis non inamœnas, neque inelegantes delicias, laborantes aquæ inopia, perinde subleuauit, desertosque Urbis colles, vt inhabitarentur, effecit.

Inseruit primùm altioribus locis, sicubi Virgo nõ in tãtum altitudinis erigi potest; per eaque varijs vsibus diffunditur: nõ diu, quod visum est superesse, humilioribus etiam Urbis locis concessum. Sed nõ çqua moderatione Ciues plerique dispensatam accipiunt. Siquidem aquariorum fraudibus interceptam, aut inertia peruersam, ductibus vetustate quassatis, sæpè etiã do-

lo malo

Io malo tentatis deriuationibus subripiebant. Semper inferioribus incolis maiori vbertate aqua sufficiebat, largioribus profluuijs se se deijciens, cursuque rapiens superiorem: eminentioribus parcior emergebat, vt maiori vel minori pressurâ cogebatur. Quare hi grauiter querebantur, iisq; sibi aquarum violatum dolebant: illi cùm vberius aquis fruerentur; nec collapsis ductibus reficiendis, nec amouendis impedimentis animum aduertebant.

Qua ratione tanto malo subueniri posset diu, ab Architectis, Aquarijsq; quæsitum est. Anceps Princeps animo, cuinam difficillimam prouinciam demandaret, inter Vrbanæ Curiæ Primates, & sapientissimos viros, BISCIAM vnum, cuius fidem, & probitatem, & ingenium iam aliàs sæpius expertus erat, electum, reficiendis, vindicandisq; aquis præficit. Is non cunctatus, opus sanè magnum, & arduum inchoauit, consummauitque felicissimè.

In Hortis primùm Columnensibus, fundamentis, quantum ex amplitudine operis pro ratione visum fuit, in solidum defossis, quod inuenire facile fuit, Thermarum Constantinianarum platea substrata; ingens ædificium, quàm solidissimâ structurâ erectum, in fornicem curuauit. In medio ad recipiendam aquarum copiam Vas satis amplum, nullis vicinis parietibus coniunctum, sed insulæ modo imminens extruxit; vt inibi aqua iucundissima, rigoreque gratissima seruaretur: circuitu item longiore, vt accommodandis, distribuendisque fistulis aptissimum esset: adeòque per omnes sui partes circumcirca deambulantem admitteret. In vas ipsum tres aquarum ductus, qui plateam Quirinalis supterraneo opere præterfluunt, se se exonerant:

nerant : fistulæque omnes eidem innexæ sunt.

Verùm, vt frigidissima simul, splendidissima, ac lenis eo aqua perueniret, neque vnam tantùm vasis partem vrgendo premeret], minor Conceptela non dissimili altitudine, exædificata est in medio, ad muri normam, qui ipsam à vase maiore diuidit, perforata: vbi quasi respirante riuorum cursu, quidquid graue, externeque materiæ rapida fluenta deuolutum importauerint, deponunt: sicque omni limoso, ac turbulento in ea, tanquam in Piscina limaria exonerato, purissima, suique splendore decora, quæ leuior est aqua, & sursum nititur, per foramen, quod, quidquid alienum est, respuit, in Castellum se se immergit: ac tum demum depurata, miti, & quieta constantia, vim, quam inferret structuræ, emollit, æquamque se præbet ad partitionem.

Receptaculum hoc, siue castellum è minutissima structum materia, non aceruatim, sed ordine, & perpetua parietum crassitudine firmatum, quin & puluere puteolano immixto, sempiternam præstabit firmitatem, & solidescet sub aqua: crebris item politionibus subactum, ne rimis aquam eructet, sed continua leuitate conseruet. Marmoribus sesquipalmo altis, crassis vno, muri superior pars circumscribitur. super his alter murus duorum palmorum, non dissimili materia, prominens, superaggestus, vt si quando aquæ creuerint, suo ambitu eas excipiat, quæ maiore postea pressura in fistulas marmoribus alligatas erogationem onerent: sicque vberiore copia fontes petant, possessoribus aquæ non mediocri emolumento.

Fistu-

Fistularum ex metallo duorum digitorum crassitudo: altitudo semipalmi: cęterùm earumdem latitudo aquarum distribuendarum, pro cuiusque mensura, vim ęquat.

Aquę erogandę mensura quadrata est. Unciaque in ea habet minuta tria & trientem; qui modulus partiundę aquæ Felicis ad eam diem iam primùm institutus fuerat: postea verò ipsius Curatoris ope, vt situs amplior esset, minuta hæc, & triens, ex æquo, quo ad latitudinem, bipartita sunt. Verùm, ita poscente altitudine, foramen in lamella ad duas vncias altum excauatum est: & ita, aucta per ęqua proportione in omnibus, sequentiæ suę regulam fistulæ seruant. Qua ratione factum est, vt eodem tempore minima, & maxima fistula, ad modum aquę attributę, fluenta hauriat: sola aquę altitudine ad fistulas omnes, non dispari lance implendas, sufficiente.

Prope fistularum radium in quatuor partes nota inducta, & in ea summi Principis insignia exculpta. Id Aquariorum fraudem omnē depellit, nec ampliùs, quàm impetratum fuerit, cùm is laxari non possit, duci permittit supra radium numeri. Primus, nimirum, Secundus, Tertius, & reliqui chalybe duro incisi; vt si quando opus fuerit, in Commentariis, in quibus possessorum nomina scribuntur, iidem sedandarum litium causa facili negotio possint inueniri. Sit exemplum. *Numerus primus Patres Capuccini vnciam cum dimidia.* Quod & in aliis obseruatum est.

Fistulę marmoribus marmorato impacto, earumq; foramina patent, aquarum scilicet emissaria, vt inde egressę ad priuatorum conductus transeant. Semper autem pateant, antequam incuruari incipiāt, ne plus,

quam

quàm concessum fuerit, trahant: & traherent vtique, si foramina ipsa clauderentur. Singulis ductibus murus supereminet extrà Castellum, Castello tamen innixus, flexuoso ambitu in varios sinus excauatus, efformatq; continuatas arculas Castello affixas, vt in illis aqua, dum possessores eam interpellant, ne transeat, refluo gurgite saliens, eodem, vnde discesserat, reuertatur, & aliorum commodo vicinis ductibus se immisceat: & si quando tempus, & necessitas flagitat, vt aqua alterius intercipiatur, fistula plumbis ad id accomodatis clauditur, aliorum aquâ non interceptâ.

Idem foramen cumulatè possessoribus satisfacit. potest enim suismet oculis quilibet fistulam propriã contemplari, & aliarum comparatione, quę item reseratæ omnium oculis obijciuntur, considerare aquæ vitia, si quæ sunt, eaq; emendare. Ad hæc, cùm iam manifestè videat aquam à Castello in Canalem infundi, nec postea emergere in vsus proprios, vbi fluere deberet, sed subterraneis anfractibus hauriri, ruinis occurrit, antequam maiorem impensæ operam requirãt. Quo efficitur, vt in posterùm de aquis vsurpatis querelæ nullus locus sit: cognito enim ductus interruptos aquam intercludere, quam ideo infra terrã disperdi necesse sit, certo animo deriuationes reuocãt, ductibus restitutis.

Eędem fistulæ ex ea parte, qua aquas respiciũt marmoribus crassis, solidisque, quibus murus desuper structus, vt diximus, inductę ad ipsarum aquarum custodiam, tutelamque Castelli faciunt. sic enim fieri non potest, vt quis lima, vel alio instrumẽto radat, vel temere violet, laxando radios, & spatium vitiando. Illico namq; vel ex nota quatuor partibus impressa, vel ex ipso fistulę foramine fraus, si qua est, dignoscetur. Quippè vel

pè vel leuis rafura vel mutilatio oculis adhuc plumbeis apertè obijcietur, cùm potissimùm locus ipse sit maximè luminosus.

Aliqui, ijque non pauci, ex tribus subterraneis ductibus, aquam antequam Castellum ingrediatur, deuoluunt in proprios vsus: quamobrem eorum canales ad Castellum si velles reuocare, difficilis, ac planè intolerabilis impensa esset: ideoq; ne cæteris aquarum possessoribus, qui è Castello transferunt, officerent, prouisum fuit, vt quisque proprios aquarum ductus excitaret ad libram altitudinis Castelli, ordinaretque ad reliquorum ductuum Castello annexorum normam, plumbeo ductu traiecto per marmor, in quo nomen possessoris inscriptum esset, vt in via, quæ dicitur PIA, manifestissimè apparet.

Supra marmor alius ductus impositus, qui in rectum se attollens cælum aspicit: eius extrema pars altitudine superat alterius ductus radium, quo aquam euomit. Sic enim ductus illi instar siphonum nusquam maiorem, quàm concessa fuerit, aquarum vim attrahent, sed ad certam regulam redacti, iusto, æquoque seruient, Concessoris liberalitatem neque frugalitate minuentes, neq; nimiâ profusione fraudantes, sed æquâ lance distribuentes suam cuique partem. Ductus, cuius foramen reseratum esse diximus, ductibus maioribus, dum acrior ventus incumbit, spiramenti loco est. Hac subtilissimâ arte librandi, prudentissimoque temperamento, difficillimo negotio, non dicam desperato, BISCIA opem tulit, qui dubios omnium animos, & incertos, certissimâ operis executione sedauit, ita vt iam suam quisque aquam, omni semotâ fraude, possidere, nusquam ab alio intercipiẽdam, planè intelligat,

ligat. Hocque prorsus ita esse omnibus persuasissimum est.

Simili Curatoris prouidentiâ plurimis publicis fontibus aquæ, vel interceptæ, vel ductuum antiquitate pereuntes, largiore, quàm antea copiâ, non minus ad priuatorum commodum redditæ sunt, & aquarum vbertas publicata. Inter eos pulcherrimum sanè se præbet, qui in eodem Quirinali aduersus Pontificiæ Domui, inter Alexandri Macedonis manu ferocientem Bucephalum tenentis statuas, assurgit. Aqua saliens marmoreo labro haud ineleganti, & satis amplo, rotundoque exundat. Quantum aquis Castellum profuerit, vel hoc vno fonte colligi potest. Item quatuor fontes, qui in quadriuio, quod geminæ interfectæ viæ, altera scilicet, quæ dicitur FELIX, altera quæ PIA, ad Basilicam Liberianam efficiunt, deambulantium sitim extinguunt, ardoresque maximè æstiuos non leni aspergine fouent. Fontes præterea Sanctæ Mariæ Montium, Fori Boarij, nec non venustus admodum Morphorij in Capitolio, cui tanta copia adiecta est, vt alio maiore, qui Capitolinis scalis subiacet, minimè minor sit, sed eâdem aquarum affluentiâ æquè spectabilis. Quare etiam horum fontium aquæ deinde per varias fistulas deriuatæ fontibus publicis, vsibusque priuatorum, quibus aquæ distributæ sunt, meliùs sufficiunt: vt dignosci facilè potest in duobus Leonibus, qui in primo aditu Cliui Capitolini ore effundunt, & ante eos in fonte qui conspicitur in area propè Muciorum domũ, in fonte Fori Olitorij, hodie *Piazza Montanara*, in fontibus item Iudæorum Plateæ, & Matthæiorum.

Modulus aquę librandę in Castello Quirinali constitutus, ita cęteris arrisit, vt ad hunc diem nusquam alius aquarum eminentiorum distribuendarum, & mensurandarum in alijs fontibus, atq; ductibus obseruetur. Fuit namque penes omnes distributionis aquarum tanquam certa ac definita lex admissus.

Quare ad huius Castelli modulum in stylobate Columnę Basilicę Liberianę vasculum simili artificio ad aquas recipiendas extructum est, vt simili paritate aquę, beneficentia eiusdem Principis eodem aduectę, distribuerentur in loci illius commoditatem, quem is semper summo studio prosecutus, miris ędificiis nobilitatum, celebrem reddidit, auxitque non mediocribus honoribus. Eius propensionis potissimum erit indicium nobilissimum sacellum, cuius par neq; posterior ętas vnquam aspiciet: nec non & Columna pulcherrima è templo Pacis deuecta, erectaque in eodem loco substinens Virginis imaginem. Fons item ante ipsam Columnam. Alterum item vasculum confectum est in stylobate Pyramidis in altera dictę Ecclesię facie surgens eorum vsui, qui sanctam illam Basilicam deuotionis ergò inuisunt, & aduenarum, qui Romam petentes per illas partes feruntur. Quæ Basilicę Canonici Inscriptione sub ęnea statua eiusdem Pontificis ante portas Sacrarii ex aduerso sedentis testata esse omnibus voluere. Ea autem est.

P A V-

PAVLO V. PONT. MAX.
QVOD SACELLO MAGNIFICENTISSIMO
AEDIFICATO
ATQVE INSTRVCTO
COLVMNA MARMOREA
PRO FORIBVS BASILICAE COLLOCATA
SACRARIO AEDIBVSQVE CANONICO-
RVM CONDITIS
ATQVE ALIIS EXIMIAE VENERATIONIS
IN DEI GENITRICEM
EIVSQVE SACRATISSIMAM IMAGINEM
MONVMENTIS
BASILICAM HANC MAXIME AVXERIT
ET ORNAVERIT
CANONICI POSVERE.
ANNO CIↃ. DC. V.
PONTIFIC. I.

Sic alterum Modulum, quo in Via Pia aquæ, antequam in Castellum provenerint, distribuuntur, ij omnes, qui aquam hauriunt ex ductu, quo Virgo in fontem publicum plateę Sancti Marci defertur, vsu optimum esse comprobarunt. Etenim ad illius imitationem omnes Aquę Virginis in dicta platea participes, coacti sunt proprios aquarum ductus ad libram directos extendere per non dissimile marmor, cuique obuium, cum spiramento eodem, quo Quirinales aquę spirant: in marmore verò scriptum sonat *D. Marci Conductûs libra hæc est*. Hoc artificio Fonti aquæ in eadem platea redditę sunt, quod fieri minimè posse existimatio plurimorum erat: itemque alijs priuatis Fontibus, qui, quod altiora loca haberent, & aquę difficilius attollerentur, certam

aquę amissionem, cui tamen Domini opem ferre non possent, arentes dolebant, aquis, libra ipsa depressioribus, maiori vi in se se trahentibus eminentiores.

Hinc arrepta occasione ductus publici aquę Triuij, qui eam per Urbem deferebāt, vetustate quassati refecti sunt: multis fontibus publicis aqua, cuius iam vsus intermissus erat, restituta; statuę & eorum prosopeia restaurata, & podia antiquitate auulsa, disruptaque in pristinam formam redacta. Multisque hoc pergratum euenit, quorum sępe questus audiebantur, aquam scilicet sibi concessam dolo malo intercipi. Quod primorum ductuum in cloacis ipsis, per quas ducebantur, ruina accidisse compertum postea fuit. Tandem duo Fonticuli extructi sunt in Platea ante molem Hadriani, hodie *Banchi*, negotia peragentium commodis; & alter in Obelisco Plateę Flumentanæ, vt illius regionis incolis aqua, quam suauissimè biberent, non deesset.

Item extra Urbem, sicubi necessitas postulabat, ductus omnes restituti sunt: ædiculaque apud D. Agnetem ædificata, vbi Cataractæ aquæ Felicis sunt, ad aquam auertendam, itemque si libuerit, exhibendam. De his ijsdem aquis habeto tibi odem elegantissimam Bartholomæi Tortoletti.

Haud constat altis fama laboribus
Præclara tantùm, BISCIA, quercuum
Quem suspicis fabrum, creasse
Hunc celebras humilem myricam.
Tu qui Latinas rebus in ardoris
Tractasti habenas, non tamen es minor,
Cum mentis inclinas cacumen

Ad

Ad tenuis tabulata fontis.
Te celso in illis pectore vidimus
Hic temperato: par decus vndique
Latare, iam cuiuis probaris:
Dona canit tua cunctus ordo.
Libratur humor, fistula ducitur;
Fraudes facessunt consilio tuo:
Et iam Quirinali per Urbem
Colle carens fluit vnda limo.
Maiore forsan res minimè vacat,
LAELI, Quiritum gloria, symbolo.
Dum lympha per Vates ineptos
Castalio vitiosa fonte
Manat. priorum tu reuocas opus
Ad puritatem scilicet, ac iugo
Vindex Camœnarum vetustos
Restituis sapiens honores,
Dum ritè sentis, riteq; iudicas.
Tacebunt olim nec tituli tui,
Ductus canoræ corruentes
Quam fueris moderatus vndæ.

CAPVT. III.

Pons Ceperani vetustate quassatus commeantes varijs incommodis, & damnis vexat: ideo à fundamentis exędificatur. Illius structura, & Inscriptio apponenda.

CEperanum ditionis Pontificiæ, Regno Neapolitano conterminum, nobile Castrum in Campania est. Pontem prisco tempore vetustate quassatum, collapsumq; Antoninus Pius Imperator anno sui Imperij IV. Christi Seruatoris CXLIII. restitutum, vt eo Clanium iungeret, oppido coniunxit. Marmore incisa Inscriptio.

IMP. CAESAR.
DIVI HADRIA-
NI. FILIVS DIVI
TRAIANI
PARTHICI NEPOS
DIVI NERVAE P.R.N.
T. AELIVS HADRIA-
NVS ANTONINVS
AVGVSTVS PIVS
PONTIFEX MAXIM.
TRIBVNIC. POTEST.
IIII. COS. III. P. P.
OPVS PONTIS. VETVSTATE
COLABS. RESTITVIT.

Stipem

Stipem exinde viatores erogare compellebantur. Idque onus impositum, vt Pontis, vel aquis, vel senio disruptæ partes reficerentur. Arcus iam pridem vetustate corruerant: pilæ tamen aquis, infestiore licèt quandoq; impetu sese inferentibus, adhuc obluctabantur: eas lignorum super immissorum contignatione iungebant incolæ, ob commoditatem itineris, longâ quantum hiatus distabant, sicque transitum præbebant, tremulo gradu parum fixum, & infirma iuncturarum concatenatione cum discrimine arduum. Namque sæpius iumenta, vel vndarum strepitu absterrita, vel obuia transmeantium frequentia in angustissimo ac labili loco, dum prolabi incipiunt, priusquam fixuram inuenirent, vbi vngula consisteret, neque cancellis, neque repagulis obnitentibus, immani mercium iactura in flumen transuersa proruebant. Difficilem viam, cùm aliunde transitus non haberetur, commeantes inuiti subibant. Incommodo non alia ratione, quàm Pontis extructione, subueniri posse, iudicatum. BISCIA curante res ita absoluta est.

Operis in eo structura eximia, vel ad aliarum vrbium magnificentiam conspicienda. Arcubus siquidem imparibus firmitati conducit, maiorique oblectamento est. medius, duobus reliquis liberior, ampliorque pedum LXVII. concitatiores excipit aquas: reliqui pedum XXXV. arctioribus interuallis clauduntur. à substructionibus ad cymatium pedum L. aditus extollitur. Pilæ, quæ superimmissi fornicis pondera sustinent, pedum XXIV. crassæ, altæ XX. quemadmodum, & anterides, & prora, & puppis ad scindendos aquarum impetus tyburtino lapide circumuestiuntur.

Pontis fundatio in alueo rapidissimi fluminis ad solidum defossa, erismis quoquouersus firmissimè substru-

ctis, oneri pilarum arcuumque ferendo nunquam deficiet : quod secus accidit in prima Pontis restitutione. Pilæ etenim non in solido, sed in arena sine vllo robore, solutissima nudaque glarea in plano ipso fluuij fundatæ, structuræ pondere succumbentes, perpetuam firmitatem habere minimè potuerunt: ideoque Pons vel minimæ temporum iniuriæ cesserat.

Longitudo Pontis ad pedes xc. extenditur: Riparum subices, quibus Pontis capita committuntur, ad pedes viginti. Quare totius operis vnà cum Ponte reductili, qua Neapolitanum Regnum contingit, longitudo erit pedum cccxxx.

Via media pedum xxiv. & hinc, atque hinc decursoria, lapide tyburtino strata: in ijs spondæ ex eodem lapide extructæ. sic enim vtraque latera firmissimè muniuntur, peditesque nitidiùs, & securiùs traiiciunt.

Eo vsque operis altitudo ducta est, vt Castri ad capita positi planiciei æquilibris sit, & cum Ponte reductili continuetur. Turris illic erecta, totius operis subiecti propugnaculum. Opere hoc, neque vtilius, neque in eo terrarum tractu, quemadmodum rerum harum periti affirmant, adeò necessarium visum est vnquam. Inscriptio apponenda hæc erat.

PAVLVS V. PONT MAX.
OPVS PONTIS AB ANTONINO AVG. PIO
ANTE ANNOS M CD LXXIV.
RESTITVTVM
INIVRIA TEMPORVM ITERVM COLLAP.
REFECIT A FVNDAMENTIS, OPPIDO
IVNXIT.
ANNO SALVT. M. DC XVII. PONTIF. XIII.

De-

De Pontis Ceperani reparatione habetur carmen Ioannis Argoli nostri.

Hic vbi marmorei iuga pendula suscipit arcus
Amnis, & est fluuius, quæ fuit ante palus.
Olim sublicij nutauit machina Pontis,
Subter & insanas territa vidit aquas.
Tarda faticatis hinc ibat rheda quadrigis:
Hic stabat preßus compede vallis equus.
Non tulit, & statuit directum BISCIA Pontem,
Atque suum iussit flumina ferre iugum.
Qui fierent mundi tanto sub Præside mores,
Si fluuius recta præcipit ire via?

CAPVT IV.

Pontes Salarius, & Mammolus in Aniene nutantes reficiuntur. Alij item Ponticuli. Aquæ Acetosæ reparatio. Via Tusculana ad Mondragonem.

Pontem Salarium, à via Salaria dictum, super Aniene flumine olim directum, à Narsete restitutum fuisse, literis prodictum est. Id lepidissimum, ac cultissimum Epigramma lapidi in medio ponte incisum, manu læua, si Sabinos contendis, testatur.

Quàm benè curuati directa est semita Pontis,
Atq; interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas subiecti gurgitis vndas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
Et Narsen resonans plausus vbiq; canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes:
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

Ex altera parte Inſcriptio, ſoluta oratione.

IMPERANTE DN PIISSIMO AC
TRIVMPHALI IVSTINIANO P P. AVG.
ANNO XXXIX
NARSES VIR GLORIOSISSIMVS
EX PRAEPOSITO SACRI PALATII
EX CONS. ATQVE PATRITIVS POST
VICTORIAM GOTICAM IPSIS ET EORVM
REGIBVS CELERITATE MIRABILI
CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS
ATQVE PROSTRATIS.
LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS
ITALIAE RESTITVTA PONTEM VIAE
SALARIAE VSQVE AD AQVAM A
NEFANDISSIMO TOTILA
TYRANNO DISTRVCTVM.
PVRGATO FLVMINIS ALVEO
IN MELIOREM STATVM QVAM
QVONDAM FVERAT RENOVAVIT.

Patrum, maiorumque memoria iterum dictus Pons, vetuſtate ęger, pluribus in locis corruerat, ex anteriore parte cancellis collapſis turrique ſolo tenus diruta. Anno MDCXII. in priſtinam integritatem reuocatus eſt, cancellis, turri, alijſq; ſumma celeritate refectis.

Non longè in eadem planitie partes fluentis aquarum diſterminatæ ponticulo nouo coniunctæ ſunt, maximo omnium commodo: cum via à porta flumentana conueniat, faciliorque aditus pandatur ad aquæ *Acetoſæ* nuncupatæ fontem, ab eodem Pontifice in meliorem faciem ædificatum: in quo inſignia Pontificis cernuntur,

tur, & carmen, quo ita Aquæ laudes exponuntur.

PAVLVS V. P.M.
ANNO SAL. M. DC XIII.
PONT. SVI IX.
RENIBVS, ET STOMACHO, SPLENI, IECORIQVE MEDETVR,
MILLE MALIS PRODEST ISTA SALVBRIS AQVA.

Illum æstate summo mane, antequam sol ardoribus incalescat, maxima hominum frequentia petit, aquam potura. eam, dum modum excesserint in bibendo, gressu vio lento, si sudore, secessuque eiecerint, suæ saluti profuisse sentiunt; si minus præcordijs interceptam detinuerint, venenum habent.

Eodem tempore simul vnà confluunt Romani, animi recreandi gratia, & venales cammaros fluuiatiles, aliundè aduectos, post dulces amicorum compotationes & epulas, Romam conducunt.

In eodem Aniene Pons Mammolus, qui fluminis inundatione oppressus, potiore sui parte corruerat, ita vt nemo pertransire auderet, restitutus fuit: alijque ponticuli, quales fuere, ille extra portam Angelicam in loco, qui dicitur *Sposata*: & ille in *Aquataccio*, extra portam Capenam, nunc à proximo templo Sancti Sebastiani nuncupatam: & alter in *Prima porta*, extra portam Flumentanam, additis hinc & illinc paruis murorum obicibus, & vbi opus fuit, Pons ipse lapidibus constratus: aliique complures, quos longum esset hîc recensere.

De Vijs extra portas, siue de nouo apertis, siue restitutis,

tis, frustra hîc sermonem me habiturum existimo: quippe quæ sæpiùs, vt necessitas impellebat, reparatæ sunt.

Vna tamen Tusculi facta est, maximè vtilis omnibus iis, qui ad summum Pontificem conueniebant, dum in amœnissima Burghesiorum villa *Mondragone* otiabatur. Hæc via, antequam Tusculum appellas, aperta est ante templum S. Bonauenturæ, cui sodales, quos vulgus *Fratres Reformatos* Sancti Francisci vocat, inseruiunt; laxataque per loca humiliora sub porta Romana; deducitque ad locum, in quo sunt Coriariorum officinæ. Fuit eâ pernecessaria ad difficultates, easque arduissimas, ascensus euitandas: cum anteà tantùm portæ conueniendæ potestas fieret, in cuius apice iter parabatur, non sine maximo discrimine, molestiaque rhedarum: quibus ad hanc diem plana, commodiorque via ad *Mondragonem* appellendi aperta est. De Ponte Salario, & Mommolo in Aniene refectis; Via à Tusculo ad Mandragonem constructa; & Aqua Acetosa reparata legitur ad eũdem Bisciam Ioannis Iacobi Bruccardi Epigramma;

Romani celebrent alij miracula Templi;
Quo nihil in toto pulchrius orbe nitet:
Celsaque Burghesia fundata palatia dextra;
Nunc Vrbs marmorea est, fictilis ante fuit.
Vtiliora vocant nostram monumenta Camœnam,
Quæ tua sub Paulo sedulitas posuit.
Impositos gelidas Pontes Aienis in vndas,
Monte draconeas prætereaque Vias,
Sed quis Acetosi sileat medicamina Fontis;

Nempe

Nempe salutiferas hic tibi debet aquas.
Vnde tibi Serpens Epidaurius vrbe relicta
Templa lubens cedit BISCIA Romuleæ.
Scilicet hic solam pestem sanauerat olim:
MILLE MALIS PRODEST ISTA SALVBRIS AQVA.

CAPVT. V.

Palatium Pontificium in Quirinali à Paulo V. auctum, varijs vijs apertis, directis, ac dilatatis, enormium ædificiorum ruina augustius redditur, & faciliori aditu, atq; accessu instruitur. Circa eam regionem hic & illinc variæ viæ dilatantur.

PAlatium Pontificium in monte Quirinali, summorum Pontificum sedes, à Gregorio XIII. ac cæteris inchoatum, absolutum illustratumq; est à Paulo V. magnifico liberalique sumptu, quà in melius mutatum, quà à fundamentis splendidè egregièq; erectum. In eo tanquam Urbi viciniores Pontifices Ecclesiæ maiestatem à Christo receptam confirmare: cuius in maximis turbinibus, & fluctibus nauem gubernant; terrarum orbem ductu, auspicioq; eius gerere, præceptis salutis aptè vereque sancitis; clarissimè, & innocentissimè, summis quibusque principatibus, & imperiis roboratis, tempora, resque omnes diuina ratione moderari. Quæ domus tanto consilio, aut tanta pruden-

tia gubernatur; nullis armis, nullo impetu, nullo dolo, potentissimi Reges, gentes bellicosissimæ, audacissimi populi, tanto dominatui iure volentes proni parent, ac leges hilarè suscipiunt.

Eò & Ciues, & Aduenæ, ex alijs atque alijs partibus quotidie Romam conuolantes, maximarum rerum frequentissimis aduocationibus, vt iuribus suis prou deant, conuenire: multi item ægre accedere, quòd erat difficili ascensu, atque arduo. etsi quando populus solito vberiùs conflueret, locus omninò inaccessus, rhedis, equis, alijsque omnibus constipatus. Ideo aditus patefactus est, omnibus Aulæ, Palatijque copia facta: via; quæ ex D. Marcelli per cliuum in plateam Palatij insinuatur, dilatata; paucis priuatorum ædiculis solo æquatis, vbi viam apprimè necessariam cùm rhedarum, tùm Aulicorum vberrimè properantium profectione, qui solemniùs hodie ad Pontificem conueniunt, ne rectà currerent, impediebant: cliuique ascensus perindè depressus. In Inscriptione ad radices Montis, cum Insignibus Pontificis, Populi Romani, Cardinalisque Burghesij hæc leguntur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
AD QVIRINALE A SE AVCTVM,
ORNATVMQ;
VIAM MOLLITO CLIVO
DILATAVIT, ATQ; DIREXIT.
ANNO SAL. M. DC. XI. PONT. VII.

Via aperta, mollitoq; cliuo, platea Sancto-Syluestrina, ad ædes vsque pontificias patefacta est: quæ, cum annexus totius ille habitationis situs Monachorum Sancti

cti Benedicti, maxima sui ftruc non minimam plateæ partem occupantis, solo fuisset æquatus; in ampliora spatia effusa, rhedis, aliisque, quandocumque opus fuerit, & in quacnmque celebritatis, si quæ contigerit, frequentia, cùm populus omnis cum coniugibus, & liberis effundi solet, non aliter quàm ad plateas Diuorum Petri, & Ioannis in Laterano Benedictionum ergo, capacissima locum præbet.

Et vt Aulicis commodius fieret iter, plures viæ eò cōmigrantibus apertæ sunt: Quippè inferius impluuium, in quo, quæ *Dataria* dicitur, habebatur, maioribus spatiis inclusum, ingenti portarum hiatu, conuenientibus commodissimo aditu viam sternit: ante illas cliuus, terra superaggesta delinitus, ad viam Corneliorum nuncupatam deducens, paruulo vico, olim *Ficoccia*, nunc *Via Dataria* dicto in ampliorem faciem redacto: ita vt binas rhedas iunctim capere possit. Quare, cùm iter hoc contractius sit, & breuiùs expediatur, cliuusq; alio magno ante Cappucinos longè depressior; rhedarum non contemnenda copia accurrit. Eoque magis, quòd variæ ad ascendendum, & ad Palatium, & ad aliorum priuatorum mansiones, vbi negotia pertractantur, scalæ sese offerant ascensu faciles.

Ante ædes Corneliorum in situ Patrum Congregationis Lucensis, via adaperta est, quæ nunc binis rhedis facillimo negotio iter præbet: vbi anteà vix vni sua angustia aditum dabat: & ædiculæ vetustate quassatæ, plateolam, quam fons Triuii excipit, miserè deformantis, demolitione, locus nobilitatus, assiduo prospectu Ciues delectat.

Cōtinuato itinere per viam Corneliorum, antequàm ad templum D. Virgini Sacrum, cui Constantinopolita-

næ nomen eſt, in ipſo viæ Paulinę ingreſſu ex parte dextra alius reſeratus eſt aditus, qui rectà Monaſterio Sancti Ioſephi inhærens, ad portam Pincianam ducit.

Leuis quidem inciſio, ſed apprimè vtilis fuit, quæ rectà venientibus per viam Sancti Marcelli in *Quirinalis* radicibus læua parte duo Monaſteria Monialium, quarum hæ *Moratta*, illæ *Virginum* nuncupantur, diſterminat. Illa namq; tibi ſiue à Triuio, ſiue à tractu, qui *Sanctæ Mariæ in via* dicitur, in plateam Sanctorum Apoſtolorum contendas, non vti ante hac occultis itineribus atq; anguſtiis, ſed apertum & commodum iter ſuccedet.

Neque minus in hac re pręſidium tulit platea ante D. Mariæ Lauretanæ Templum addita, & quę anteà Anno CIↃIↃCX ſitus, quamquam parui demolitiò acceſſum faciliorem reddiderat, aliàs variis flexibus arduum, ex loco, qui *Macellum corui* dicitur. Quęomnia, ſi verum fateri volumus, ad Palatium Quirinale tendentibus deſeruiunt. Quod vt melius pararetur, vię, ſaxaque in illis ſtrata ſub monaſterio ſanctę Catharinę Senenſis, & cliuus alius, qui nuncupatur *Molaræ*, complanatus. De Viis pro Quirinali adapertis hoc Epigrammate iuſerat Nicolaus Villanus.

Colle Quirinali laxas anguſta viarum,
Romulidiſque nouum BISCIA pandis iter.
Aſpera cliuorum leuas, atque ardua mollis,
Et loca ruderibus obſita pura facis.
Εὐρυάγυια fuit Priameia Pergamos olim,
Carminibus vatum ſi modo certa fides:
Aſt oculis ſi certa fides, ex inclita Roma
Facta eſt auſpiciis εὐρυάγυια tuis,

Auen-

CAPVT. VI.

Auentini Montis situs, & dignitas. Illum summus Pontifex die Cinerum ascendit, maximo omnium comitatu. Ascensûs incommoda, ac difficultates corriguntur. Aditus varij aperiuntur. Enumeratæ viæ plurimæ, quà apertæ, quà directæ, quà dilatatæ. Ædiculæ plures ad decorem Urbis disiectæ. Via à Foro Boario ad Amphitheatrum Vespasiani, & aliæ lapidibus stratæ. De excauando Puteolano puluere. Item de plaustrorum modo, & mensura.

COllis inter eos, qui aggere, & fossis, & muro Urbis circumdantur, maximus, apprimèque militaribus castris locandis idoneus, supra Tyberim, occasum versus, à Deæ Murciæ sacello Murcius antea vocatus, siue ab Auibus, siue ab Auentino Albano, siue ab aduentu hominum, siue ab aduectu, Auentini nomen habuit. Felix locus: quando ibi prima initia inchoata sunt libertatis Romanæ: ejusque imperium non latrocinio, & cæde, sed consilio auctum. Seruius Tullius magnis cogitationibus inflatus admirandis maiorum operibus satis superbè illusit, & noua ratione (nec falsus est) Urbi decus addidit, Dianæ in eodem monte Fano exstructo, vbi non secus ac in Dianæ Ephesiæ Iones,

Do-

Dorienses in Apollinis Triopiæ, Latinorum populi sæpe iteratis conuentibus cum populo Romano Deos consociatos laudarent, & multis humanitatis officiis, vltrò citròque exhibitis, offensiones, si quæ intercessissent, diluerent, saltim minuerent, corda dissociata, & mentes refractarias hisce delinimentis emollirent, de mutua concordia, deque bello hostibus inferendo decernerent. Omnium ea fuit summa consensio, CAPVT RERVM ROMAM ESSE; à Boue etiam miranda magnitudine, ac specie, quæ res prodigij loco habita est, confirmata; fixa per multas ætates cornua in vestibulo templi, æreaque columna Aræ dicata, Græcorum characteribus inscripta, non leue monumentum ei fuere consensioni. Verè ingenii Romani animum gratum: fanum, in quo suæ maiestatis initia iacta fuerant, Roma in veræ religionis luce minime passa est stultissima Idolorum peste pollutum, in crimen & in infamiam poni: eius dignitatem, atque honorem, vero Deo, & Diuæ Sabinæ id dicando, tutata: vt quod sui principatûs caduci, incerti, & breuis initia habuit, haberet etiam veri sui dominatûs, (cùius quasi præludium fuerat) qui nunquam vlla vi labefactari, nunquam moueri loco poterit, confessionem. Id causæ est, nisi me fallit coniectura, cur primo ieiuniorum die, dignitatum omnium apex, & rerum caput, summus Pontifex, Vaticano egressus, celebri Ciuium, cùm peditum, tùm equitum comitatu, armatis militum turmis, inter purpuratos Patres, aliorumque Ecclesiæ Romanæ Procerum, ac luminum cætus, summâ omnium lætitiâ vndique eò confluentium, Auentinum ascendit, Templumque ingressus flexis genibus, &

ſupplicibus manibus ad Deum extenſis, intimo cordis fletu, humilique oratione Deum exorat, vt miſereatur. Deinceps ſolemni ritu Sacro audito, inter quod ſermo ab ingenuiſſimo quopiam habetur, cæteris peractis, quæ eo die ſacra cenſentur, ad Vaticanum, vnde venerat, eodem apparatu regreditur.

Eo die duo certiſſima eſſe, quæ aliàs in dubium verti poſſent, deprehenduntur: alterum eſt, *vbi Papa, ibi Romam eſſe*, & antequam Pontifices Romæ eſſent, *illic Romam eſſe, vbi Imperator*, Herodiano non inelegante ſcriptore referente: alterum, homines vitam Principis æmulari. Quippè veſtigia Principis Populus ſecutus, cultûs ac religionis ergo, in Auentinum cum vxoribus, ac liberis, à mane ad ſummam noctem vſque concurrit: vt Romam ibi auolâſſe, Româ deſtitutâ, non immeritò dixeris. Tot hominum copijs Auentinus eo die redundat!

Verùm aſcenſus difficilis, & arduus multos arcebat: immoderata etiam imbrium vi ſulci altiùs impreſſi, lacunæq; patefactæ, equis cliuũ inacceſsũ præſtabãt: ſępè etiã anguſtijs loci cõtentiones & iurgia exorta, non ſine maximis vtriuſque partis incommodis ſedata ſunt. Quare Sixtus V. cliuum moderatus eſt, quà ſtrijs depreſſis, quà ſulcis oppletis, equis hominibuſque aditum exhibens faciliorem. Anguſtia tamen loci prohibebat, ne rhedæ ad templum peruenirent; ideo per viam illis relictis, pedibus erat progrediendum. Hinc delicati, & nobiles, & dignitate inſignes vulgo peruicaci immixti, miſeris habebantur modis, nec opportunè Aulici ſeruitijs præſtandis adeſſe poterant, multitudine impetum eorum cohibente. Paulus V. impendio omnibus profuturo, viâ directâ, & delinitâ, multiſque locis apertâ, vt faciliùs

vndi-

vndique collis adiretur, plateam ante dictum Templum ampliauit, vbi rhedæ omnium, qui eò conueniunt, sine vllo alterius impedimento commorantur, alijs, atque alijs hinc inde diuisis: sublatusque est contentionibus locus, auctus deuotioni.

Longum esset, & otij abundantia de viis omnibus, quà apertis, quà resarcitis, pluribus verbis scribere; ideo eas recensere tantùm satis erit: & sicubi opus est, causas, quare hæc opera peracta sint, quàm breuissimè expediam.

Via publica, quæ per arcus Templi Pacis in Forum Boarium perducit. Viæ, quæ à parte posteriori Cappellæ Pontificiæ, ab ipso Paulo cōditę in Basilica Liberiana, in vsus publicos, locis illis à Capitulo Basilicę, aliisq; ad extruēdas domus diuēditis. Via Sācti, vulgo *Lorenzoli* dicitur, quæ ducit ad Sanctam Mariam Montium. Ab Arcu Cathecumenorum per situm Baccinorum ad Burgum Sanctæ Agathæ, & in radicibus montis Balineorum Pauli, nunc *Magnanapoli* dicti: in hortis Muciorum ad Turrim Comitum vocatam: & post Templum Pacis in locis ad ædificandum à Duce Poli datis. Aliæ item in Foro Boario, per situs Nosocomii *Consolationis* nuncupati, & penes portam Pincianam in Hortis Ducis Sancti Gemini. in quibus videre est pauperes, & diuites, non sine mutua contentione, summa ope niti, vt Pontificem, qui quotidiè ad ornatum Urbis semper aliquid molitur, & perficit, quoad fieri potest, imitentur.

Præterea ædiculæ complures parui momenti, verùm ad decorem dignitatemque Urbis maximè conducentes, pluribus in locis solo æquatæ sunt publicis impensis. Ante fontem pulcherrimum in Ponte Sixti, vnde aquarum illa copia liberior oculis intuentium obiicitur, ma-

gisque aura suauissima hinc inde latè diffusa, illuc commeantes delectat. Tres aliæ dirutæ sunt apud Turrim *Comitum* nuncupatam, in loco, qui dicitur *Pantani*: res non minus vtilis propter multarum viarum, quæ ibidem videntur, in vnum coëuntium, prospectum. Item apud Sanctam Agatham in tractu Transtyberino;

Et à Ciuibus priuatis apud Sanctum Crispinum Cõgregationis Calceolariorum: & Sanctam Apolloniam Canonicorum olim Sancti Laurentii in Lucina, qui nunc Capellæ Paulinę in Liberiana Basilica deseruiunt: pluribusque alijs in locis. Dum enim laxatis plateis pulchra vndique Roma assurgeret; ędium enorminates noua veterum ædificiorum ruina adamussim directæ corrigebantur, non sine ingenti assensu, alacritateq; ciuium, cuncta approbantium.

Via, quæ à Foro Boario per Arcum Titi ad Amphitheatrum deducit, plaustrorum frequentia, quorum quotidiana assiduitate quassatur, excauata, defossaque aditum viatoribus negabat: quare lapidibus strata est, in medio protuberans, vt aquas effusas per decliue in ambas partes ad latera deijceret. Illa item, cuius supra mentio facta est, apud Sanctam Catherinam Senensem, vt ascensus, qui à Diua Virgine Lauretana ad montem *Magnanapolim* defert, moderatior fieret. Nec non & in platea sub radicibus Montis Trinitatis. In *Dohana* item saxa erecta sunt, vt ingressus in eam sine alio præsidio scalarum, quæ locum illum impediebant, viamque omnium, quæ Romæ sunt, frequentissimam coarctabant. Præterea aaud Sanctum Sixtum, in loco, qui appellatur *Cerchi*, terræ pessima qualitate infami non aliter, quàm vt lapidibus sterneretur, opem ferre licuit. Sed Scriptori non est in animo Vias omnes, quas sternendas manda-

dit, literis prodere. Volumen quippe nō sine legentium tædio in magnam molem excresceret. Sat sit nobiliores, famaque digniores hîc recensuisse. Sciat tamen lector, re ita postulante, in vijs reficiendis nunquam BISCIAE operam defuisse, ac studium, cui illa prouincia demandata fuerat.

Prouisum item fuit à Purpuratorum Senatu, cui id onus iniunctum erat, super excauatione pulueris Puteolani, vt scilicet caueis apertis effoderetur: vt, si quid immineret periculi, vel vijs vicinis, vel ædificiis, facilè posset comprehendi à contuentibus: & in ijs locis, vbi necessitas vrgeret, ad puluerem extrahendum sucula fieret, viæque aperirentur satis commodæ. Sic enim curatores publici, vicinique ad quos pertineret, possent liberè accedere, &, si cui damnum fuisset illatum, diiudicare.

Prouisum item fuit, vt plaustra, quæ materiam ædificationum deuehunt, omnia in formam capsæ, mensura scripta, in fabricarum vtilitatem efformarentur, ne, dum cæmenta, terram, aliaque conducunt, per viam spargerent; vtque rotis ligneis tantùm, sicuti priùs fieri consueuerat, laminis ferreis amotis vterentur. Earum enim altitudine, & pondere vias incisas transuertebant, maximo ciuium dispendio resarciendas. Hæc omnia edicto cauta sunt, pœnis grauibus contra mandati violatores indictis. De colle Auentino expurgato, variisque viis adaperti legi Prosperi Argoli I. C. egregii, Ioannis Fratris Carmina.

CAPVT. IV.

Pontes Salarius, & Mammolus in Aniene nutantes reficiuntur. Alij item Ponticuli. Aquæ Acetosæ reparatio. Via Tusculana ad Mondragonem.

Pontem Salarium, à via Salaria dictum, super Aniene flumine olim directum, à Narsete restitutum fuisse, literis proditum est. Id lepidissimum, ac cultissimum Epigramma, lapidi in medio ponte incisum, manu læua, si Sabinos contendis, testatur.

Quàm benè curuati directa est semita Pontis,
Atq; interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas subiecti gurgitis vndas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
Et Narsen resonans plausus vbiq; canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes:
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

Ex altera parte Inſcriptio, ſoluta oratione.

IMPERANTE DN PIISSIMO AC
TRIVMPHALI IVSTINIANO P P. AVG.
ANNO XXXIX
NARSES VIR GLORIOSISSIMVS
EX PRAEPOSITO SACRI PALATII
EX CONS. ATQVE PATRITIVS POST
VICTORIAM GOTICAM IPSIS ET EORVM
REGIBVS CELERITATE MIRABILI
CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS
ATQVE PROSTRATIS.
LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS
ITALIAE RESTITVTA PONTEM VIAE
SALARIAE VSQVE AD AQVAM A
NEFANDISSIMO TOTILA
TYRANNO DISTRVCTVM.
PVRGATO FLVMINIS ALVEO
IN MELIOREM STATVM QVAM
QVONDAM FVERAT RENOVAVIT.

Patrum, maiorumque memoria iterum dictus Pons, vetuſtate ęger, pluribus in locis corruerat, ex anteriore parte cancellis collapſis turrique ſolo tenus diruta. Anno MDCXII. in priſtinam integritatem reuocatus eſt, cancellis, turri, alijſq; ſumma celeritate refectis.

Non longè in eadem planitie partes fluentis aquarum diſterminatæ ponticulo nouo coniunctæ ſunt, maximo omnium commodo: cum via à porta flumentana conueniat, faciliorque aditus pandatur ad aquæ *Acetoſæ* nuncupatæ fontem, ab eodem Pontifice in meliorem faciem ædificatum: in quo inſignia Pontificis cernuntur,

tur, & carmen, quo ita Aquæ laudes exponuntur.

PAVLVS V. P.M.
ANNO SAL. M. DC XIII.
PONT. SVI IX.
RENIBVS, ET STOMACHO, SPLENI, IECORIQVE MEDETVR,
MILLE MALIS PRODEST ISTA SALVBRIS AQVA.

Illum æstate summo mane, antequam sol ardoribus incalescat, maxima hominum frequentia petit, aquam potura. eam dum modum excesserint in bibendo, gressu violento, si sudore, secessuque eiecerint, suæ saluti profuisse sentiunt, si in minus præcordijs interceptam detinuerint, venenum habent.

Eodem tempore simul vnà confluunt Romani, animi recreandi gratia, & venales cammaros fluuiatiles, aliundè aduectos, post dulces amicorum compotationes & epulas, Romam conducunt.

In eodem Aniene Pons Mammolus, qui fluminis inundatione oppressus, potiore sui parte corruerat, ita vt nemo pertransire auderet, restitutus fuit: alijque ponticuli, quales fuere, ille extra portam Angelicam in loco, qui dicitur *Sposata*: & ille in *Aquataccio*, extra portam Capenam, nunc à proximo templo Sancti Sebastiani nuncupatam: & alter in *Prima porta*, extra portam Flumentanam, additis hinc & illinc paruis murorum obicibus, & vbi opus fuit, Pons ipse lapidibus constratus: aliique complures, quos longum esset hîc recensere.

De Vijs extra portas, siue de nouo apertis, siue restitutis,

tis, frustra hîc sermonem me habiturum existimo: quippe quæ sæpiùs, vt necessitas impellebat, reparatæ sunt.

Vna tamen Tusculi facta est, maximè vtilis omnibus iis, qui ad summum Pontificem conueniebant, dum in amœnissima Burghesiorum villa *Mondragone* otiabatur. Hæc via, antequam Tusculum appellas, aperta est ante templum S. Bonauenturæ, cui sodales, quos vulgus *Fratres Reformatos* Sancti Francisci vocat, inseruiunt; laxataque per loca humiliora sub porta Romana; deducitque ad locum, in quo sunt Coriariorum officinæ. Fuit eâ pernecessaria ad difficultates, easque arduissimas, ascensus euitandas: cum anteà tantùm portæ conueniendæ potestas fieret, in cuius apice iter parabatur, non sine maximo discrimine, molestiaque rhedarum: quibus ad hanc diem plana, commodiorque via ad *Mondragonem* appellendi aperta est. De Ponte Salario, & Mommolo in Aniene refectis; Via à Tusculo ad Mandragonem constructa; & Aqua Acetosa reparata legitur ad eũdem Bisciam Ioannis Iacobi Bruccardi Epigramma;

Romani celebrent alij miracula Templi;
Quo nihil in toto pulchrius orbe nitet:
Celsaque Burghesia fundata palatia dextra:
Nunc Vrbs marmorea est, fictilis ante fuit.
Vtiliora vocant nostram monumenta Camœnam,
Quæ tua sub Paulo sedulitas posuit.
Impositos gelidas Pontes Anienis in vndas,
Monte draconeas prætereaque Vias,
Sed quis Acetosi sileat medicamina Fontis;

Nempe

Nempe salutiferas hic tibi debet aquas.
Vnde tibi Serpens Epidaurius vrbe relicta
Templa lubens cedit BISCIA Romuleæ.
Scilicet hic solam pestem sanauerat olim:
MILLE MALIS PRODEST ISTA SALVBRIS AQVA.

CAPVT. V.

Palatium Pontificium in Quirinali à Paulo V. auctum, varijs vijs apertis, directis, ac dilatatis, enormium ædificiorum ruina augustius redditur, & faciliori aditu, atq; accessu instruitur. Circa eam regionem hic & illinc variæ viæ dilatantur.

PAlatium Pontificium in monte Quirinali, summorum Pontificum sedes, à Gregorio XIII. ac cæteris inchoatum, absolutum illustratumq; est à Paulo V. magnifico liberalique sumptu; quà in melius mutatum, quà à fundamentis splendidè egregièq; erectum. In eo tanquam Vrbi viciniores Pontifices Ecclesiæ maiestatem à Christo receptam confirmare: cuius in maximis turbinibus, & fluctibus nauem gubernant; terrarum orbem ductu, auspicioq; eius gerere, præceptis salutis aptè vereque sancitis; clarissimè, & innocentissimè, summis quibusque principatibus, & imperiis roboratis, tempora, resque omnes diuina ratione moderari. Quæ domus tanto consilio, aut tanta pruden-

tia,

tia gubernatur ? nullis armis, nullo impetu, nullo dolo, potentissimi Reges, gentes bellicosissimæ, audacissimi populi, tanto dominatui iure volentes proni parent, ac leges hilarè suscipiunt.

Eò & Ciues, & Aduenæ, ex alijs atque alijs partibus quotidie Romam conuolantes, maximarum rerum frequentissimis aduocationibus, vt iuribus suis prouideant, conuenire: multi item ægre accedere, quòd erat difficili ascensu, atque arduo. etsi quando populus solito vberiùs confluerét, locus omninò inaccessus, rhedis, equis, alijsque omnibus constipatus. Ideo aditus patefactus est, omnibus Aulæ, Palatijque copia facta: via; quæ ex D. Marcelli per cliuum in plateam Palatij insinuatur, dilatata; paucis priuatorum ædiculis solo æquatis, vbi viam apprimè necessariam cùm rhedarum, tùm Aulicorum vberrimè properantium profectione, qui solemniùs hodie ad Pontificem conueniunt, ne recta currere, impediebant: cliuique ascensus perindè depressus. In Inscriptione ad radices Montis, cum Insignibus Pontificis, Populi Romani, Cardinalisque Burghesij hæc leguntur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
AD QVIRINALE A SE AVCTVM,
ORNATVMQ;
VIAM MOLLITO CLIVO
DILATAVIT, ATQ; DIREXIT.
ANNO SAL. M. DC. XI. PONT. VII.

Via aperta, mollitoq; cliuo, platea Sancto-Syluestrina, ad ædes vsque pontificias patefacta est: quæ, cum annexus totius ille habitationis situs Monachorum Sancti

cti Benedicti, maxima sui ſtrue non minimam plateæ partem occupantis, ſolo fuiſſet æquatus; in ampliora ſpatia effuſa, rhedis, aliiſque, quandocumque opus fuerit, & in quacnmque celebritatis, ſi quæ contigerit, frequentia, cùm populus omnis cum coniugibus, & liberis effundi ſolet, non aliter quàm ad plateas Diuorum Petri, & Ioannis in Laterano Benedictionum ergo, capaciſſima locum præbet.

Et vt Aulicis commodius fieret iter, plures viæ eò cōmigrantibus apertæ ſunt: Quippè inferius impluuium, in quo, quæ *Dataria* dicitur, habebatur, maioribus ſpatiis incluſum, ingenti portarum hiatu, conuenientibus commodiſſimo aditu viam ſternit: ante illas cliuus, terra ſuperaggeſta delinitus, ad viam Corneliorum nuncupatam deducens, paruulo vico, olim *Ficoccia*, nunc *Via Datariæ* dicto in ampliorem faciem redacto: ita vt binas rhedas iunctim capere poſſit. Quare, cùm iter hoc contractius ſit, & breuiùs expediatur, cliuuſq; alio magno ante Cappucinos longè depreſſior; rhedarum non contemnenda copia accurrit. Eoque magis, quòd variæ ad aſcendendum, & ad Palatium, & ad aliorum priuatorum manſiones, vbi negotia pertractantur, ſcalæ ſeſe offerant aſcenſu faciles.

Ante ædes Corneliorum in ſitu Patrum Congregationis Lucenſis, via adaperta eſt, quæ nunc binis rhedis facillimo negotio iter præbet: vbi anteà vix vni ſua anguſtia aditum dabat: & ædiculæ vetuſtate quaſſatæ, plateolam, quam fons Triuii excipit, miſerè deformantis, demolitione, locus nobilitatus, aſſiduo proſpectu Ciues delectat.

Cōtinuato itinere per viam Corneliorum, antequàm ad templum D. Virgini Sacrum, cui Conſtantinopolita-

næ nomen est, in ipso viæ Paulinę ingressu ex parte dextra alius reseratus est aditus, qui rectà Monasterio Sancti Iosephi inhærens, ad portam Pincianam ducit.

Leuis quidem incisio, sed apprimè vtilis fuit, quæ rectà venientibus per viam Sancti Marcelli in Quirinalis radicibus læua parte duo Monasteria Monialium, quarum hæ *Moratta*, illæ *Virginum* nuncupantur, distermi-nat. Illa namq; tibi siue à Triuio, siue à tractu, qui *Sanctæ Mariæ in via* dicitur, in plateam Sanctorum Apostolorum contendas, non vti ante hac occultis itineribus atq; angustiis, sed apertum & commodum iter succedet.

Neque minus in hac re presidium tulit platea ante D. Mariæ Lauretanæ Templum addita, & quę anteà Anno CIƆIƆCX situs, quamquam parui demolitiò accessum faciliorem reddiderat, aliàs variis flexibus arduum, ex loco, qui *Macellum corui* dicitur. Quęomnia, si verum fateri volumus, ad Palatium Quirinale tendentibus deseruiunt. Quod vt melius pararetur, vię, saxaq; ie in illis strata sub monasterio sanctę Catharinę Senenus, & cliuus alius, qui nuncupatur *Molaræ*, complanatus. De Viis pro Quirinali adapertis hoc Epigrammate iusterat Nicolaus Villanus.

Colle Quirinali laxas angusta viarum,
Romulidisque nouum BISCIA pandis iter.
Aspera cliuorum leuas, atque ardua mollis,
Et loca ruderibus obsita pura facis.
Εὐρυάγυια fuit Priameia Pergamos olim,
Carminibus vatum si modo certa fides:
Ast oculis si certa fides, ex inclita Roma
Facta est auspiciis εὐρυάγυια tuis,

Ancn-

CAPVT. VI.

Auentini Montis situs, & dignitas. Illum summus Pontifex die Cinerum ascendit, maximo omnium comitatu. Ascensûs incommoda, ac difficultates corriguntur. Aditus varij aperiuntur. Enumeratæ viæ plurimæ, quæ apertæ, quà directæ, quà dilatatæ. Ædiculæ plures ad decorem Urbis disiectæ. Via à Foro Boario ad Amphitheatrum Vespasiani, & aliæ lapidibus stratæ. De excauando Puteolano puluere. Item de plaustrorum modo, & mensura.

COllis inter eos, qui aggere, & fossis, & muro Urbis circumdantur, maximus, apprimèque militaribus castris locandis idoneus, supra Tyberim, occasum versus, à Deæ Murciæ sacello Murcius antea vocatus, siue ab Auibus, siue ab Auentino Albano, siue ab aduentu hominum, siue ab aduectu, Auentini nomen habuit. Felix locus: quando ibi prima initia inchoata sunt libertatis Romanæ: ejusque imperium non latrocinio, & cæde, sed consilio auctum. Seruius Tullius magnis cogitationibus inflatus admirandis maiorum operibus satis superbè illusit, & noua ratione (nec falsus est) Urbi decus addidit, Dianæ in eodem monte Fano extructo, vbi non secus ac in Dianæ Ephesiæ fones, Do-

Dorienses in Apollinis Triopiæ, Latinorum populi sæpe iteratis conuentibus cum populo Romano Deos consociatos laudarent, & multis humanitatis officiis, vltrò citròque exhibitis, offensiones, si quæ intercessissent, diluerent, saltim minuerent, corda dissociata, & mentes refractarias hisce delinimentis emollirent, de mutua concordia, deque bello hostibus inferendo decernerent. Omnium ea fuit summa consensio, CAPVT RERVM ROMAM ESSE; à Boue etiam miranda magnitudine, ac specie, quæ res prodigij loco habita est, confirmata: fixa per multas ætates cornua in vestibulo templi, æreaque columna Aræ dicata, Græcorum characteribus inscripta, non leue monumentum ei fuere consensioni. Verè ingenii Romani animum gratum: fanum, in quo suæ maiestatis initia iacta fuerant, Roma in veræ religionis luce minime passa est stultissima Idolorum peste pollutum, in crimen & in infamiam poni: eius dignitatem, atque honorem, vero Deo, & Diuæ Sabinæ id dicando, tutata: vt quod sui principatûs caduci, incerti, & breuis initia habuit, haberet etiam veri sui dominatûs, (cuius quasi præludium fuerat) qui nunquam vlla vi labefactari, nunquam moueri loco poterit, confessionem. Id causæ est, nisi me fallit coniectura, cur primo ieiuniorum die, dignitatum omnium apex, & rerum caput, summus Pontifex, Vaticano egressus, celebri Ciuium, cùm peditum, tùm equitum comitatu, armatis militum turmis, inter purpuratos Patres, aliorumque Ecclesiæ Romanæ Procerum, ac luminum cætus, summâ omnium lætitiâ vndique eò confluentium, Auentinum ascendit, Templumque ingressus flexis genibus, &

ſupplicibus manibus ad Deum extenſis, intimo cordis fletu, humilique oratione Deum exorat, vt miſereatur. Deinceps ſolemni ritu Sacro audito, inter quod ſermo ab ingenuiſſimo quopiam habetur, cæteris peractis, quæ eo die ſacra cenſentur, ad Vaticanum, vnde venerat, eodem apparatu regreditur.

Eo die duo certiſſima eſſe, quæ aliàs in dubium verti poſſent, deprehenduntur: alterum eſt, *vbi Papa, ibi Romam eſſe*, & antequam Pontifices Romæ eſſent, *illic Romam eſſe, vbi Imperator*, Herodiano non inelegante ſcriptore referente: alterum, homines vitam Principis æmulari. Quippè veſtigia Principis Populus ſecutus, cultûs ac religionis ergo, in Auentinum cum vxoribus, ac liberis, à mane ad ſummam noctem vſque concurrit: vt Romam ibi auolâſſe, Româ deſtitutâ, non immeritò dixeris. Tot hominum copijs Auentinus eo die redundat!

Verùm aſcenſus difficilis, & arduus multos arcebat: immoderata etiam imbrium vi ſulci altiùs impreſſi, lacunæq; patefactæ, equis cliuũ inacceſsũ præſtabãt: ſępè etiã anguſtijs loci cõtentiones & iurgia exorta, non ſine maximis vtriuſque partis incommodis ſedata ſunt. Quare Sixtus V. cliuum moderatus eſt, quà ſtrijs depreſſis, quà ſulcis oppletis, equis hominibuſque aditum exhibens faciliorem. Anguſtia tamen loci prohibebat, ne rhedæ ad templum peruenirent; ideo per viam illis relictis, pedibus erat progrediendum. Hinc delicati, & nobiles, & dignitate inſignes vulgo peruicaci immixti, miſeris habebantur modis, nec opportunè Aulici ſeruitijs præſtandis adeſſe poterant, multitudine impetum eorum cohibente. Paulus V. impendio omnibus profuturo, viâ directâ, & delinitâ, multiſque locis apertâ, vt faciliùs

vndi-

vndique collis adiretur, plateam ante dictum Templum ampliauit, vbi rhedæ omnium, qui eò conueniunt, sine vllo alterius impedimento commorantur, alijs, atque alijs hinc inde diuisis: sublatusque est contentionibus locus, auctus deuotioni.

Longum esset, & otij abundantia de viis omnibus, quà apertis, quà resarcitis, pluribus verbis scribere; ideo eas recensere tantùm satis erit: & sicubi opus est, causas, quare hæc opera peracta sint, quàm breuissimè expediam.

Via publica, quæ per arcus Templi Pacis in Forum Boarium perducit. Viæ, quæ à parte posteriori Cappellæ Pontificiæ, ab ipso Paulo côditę in Basilica Liberiana, in vsus publicos, locis illis à Capitulo Basilicę, aliisq; ad extruêdas domus diuéditis. Via Sâcti, vulgo *Lorenzoli* dicitur, quæ ducit ad Sanctam Mariam Montium. Ab Arcu Cathecumenorum per situm Baccinerum ad Burgum Sanctæ Agathæ, & in radicibus montis Balineorum Pauli, nunc *Magnanapoli* dicti: in hortis Muciorum ad Turrim Comitum vocatam: & post Templum Pacis in locis ad ædificandum à Duce Poli datis. Aliæ item in Foro Boario, per situs Nosocomii *Consolationis* nuncupati, & penes portam Pincianam in Hortis Ducis Sancti Gemini, in quibus videre est pauperes, & diuites, non siue mutua contentione, summa ope niti, vt Pontificem, qui quotidiè ad ornatum Urbis semper aliquid molitur, & perficit, quoad fieri potest, imitentur.

Præterea ædiculæ complures parui momenti, verùm ad decorem dignitatemque Urbis maximè conducentes, pluribus in locis solo æquatæ sunt publicis impensis. Ante fontem pulcherrimum in Ponte Sixti, vnde aquarum illa copia liberior oculis intuentium obiicitur, ma-

nit,literis prodere. Volumen quippe nō sine legentium tædio in magnam molem excresceret. Sat sit nobiliores, famaque digniores hîc recensuisse. Sciat tamen lector, re ita postulante, in vijs reficiendis nunquam BISCIAE operam defuisse, ac studium, cui illa prouincia demandata fuerat.

Prouisum item fuit à Purpuratorum Senatu, cui id onus iniunctum erat, super excauatione pulueris Puteolani, vt scilicet caueis apertis effoderetur: vt, si quid immineret periculi, vel vijs vicinis, vel ædificiis, facilè posset comprehendi à contuentibus: & in ijs locis, vbi necessitas vrgeret, ad puluerem extrahendum sucula fieret, viæque aperirentur satis commodæ. Sic enim curatores publici, vicinique ad quos pertineret, possent liberè accedere, &, si cui damnum fuisset illatum, diiudicare.

Prouisum item fuit, vt plaustra, quæ materiam ædificationum deuehunt, omnia in formam capsæ, mensura scripta, in fabricarum vtilitatem efformarentur, ne, dum cæmenta, terram, aliaque conducunt, per viam spargerent; vtque rotis ligneis tantùm, sicuti priùs fieri consueuerat, laminis ferreis amotis vterentur. Earum enim altitudine, & pondere vias incisas transuertebant, maximo ciuium dispendio resarciendas. Hæc omnia edicto cauta sunt, pœnis grauibus contra mandati violatores indictis. De colle Auentino expurgato, variisque viis adaperti legi Prosperi Argoli I. C. egregii, Ioannis Fratris Carmina.

Aſpicis hìc ſeptem montem de collibus, Hoſpes,
Cuius Auentini nomina fecit Auis.
Hinc prope Circenſis duxit ſpectacula Conſus:
Hinc traxit raptas Caccus in antra boues:
Hìc olim niueo culta eſt Dea Roma ſacello:
Hìc culta eſt ipſo candida Luna iugo:
Poſt Diuæ ſanxere Patres *pia templa Sabinæ*
Chriſticolæ, cuius nomina ſeruat apex.
Sed male decliui ſquallebat ſemita ductu,
Tardabat currus terra moleſta rotas.
BISCIA diruptum Præſes iter auſpice PAVLO
Mollit, inacceſſam conſtruit arte viam.
BISCIA, & Alcides illuſtrant nomine Collem:
Hic fure, hic duro tramite purgat iter.

CAPVT. VII.

Via in Valle Martia, cognomento Scrophæ *arcta, ac flexuosa laxatur, dirigiturque, nonnullis ædiculis solo æquatis. Per eam Cardinales, & Legati, dum Romam conueniunt., cum pompa & comitatu obequitant. Emporium lignorum è conspectu Sancti Hieronymi ad alium commodiorem locum defertur, & locus muris cingitur: sicque Sanctus Hieronymus, &* Palatium *Burghesianum à nautarum, baiulorumq; tumultu vindicantur. Areæ secundæ situs, forma, & commoda. Prima nobilioribus negotiatoribus concessa. Via à* Porta *Flumentana ad Pontem Miluium, aliaque delapidantur.*

PEr viam, quæ à Porta Flumentana, vulgò *Populi*, rectà ducit ad Sanctum Ludouicum, Cardinales, quum ad galerum suscipiendum Romam aduenìunt, siue etiam Legationis initæ rationem reddituri, solemni equitum, nobiliumque comitatu, & populi admirabili frequentia, qui largè effusèque illàc per vicos omnes propetant, iter arripiunt, ad D. Petri, si ibidem Pontifex commoratur: si minùs Qui-

tinalem habet, per viam (vulgo *Cursus* dicitur) apud Sanctum Marcellum propè Domum Cæsiorum gressum flectentes, neq; difficili, neque arduo ascensu Palatium accedunt. Per eamdem Summorum Principum Magnates, Rerumque publicarum honestissimi Legati, nomine sui Principis quisque, vt summo Pontifici obedientiam spondeant, simili apparatu, ciuiumque obsequio pergunt.

Magnam lætitiæ partem viæ incommoda turbabant: alterum erat semitæ angustia: prope namque locum, *Scrofa* nuncupatum, ædificia quædam in viam ipsam rectum tramitem excedentia se insinuabant, quare via, quæ paulò ante lata, multarumque gentium capax protendebatur, quasi tum contracta in angustum aditum, & fauces præstrictissimas tenuabatur, quæ partem vnam Urbis ab alia seiungere videbantur: ita vt curribus ac rhedis, aliquando etiam animalibus, merces, aliaque onera deuehentibus, quorum quotidianâ frequentiâ via teritur, aditus intercluderetur, non sine maximo viatorum incommodo. Vni namque aditus tantùm patebat; vnde alteri commorandum, progrediendum alteri necesse erat. Et sæpius, dum ductores alter alteri viam intercipit, nec loco cedere vult, litigia & contentiones exortæ, non verbis, & iurgijs, sed pugnis & sanguine diremptæ sunt. Et qui iam vellent in itinere profecisse, discordia orta, vel tempus insummunt ad eam placandam, vel comprehensi, manibus colligatis, miseris modis in custodiam traduntur. Anno M. D. LVII. mandatum fuerat, vt priuatorum ædes procurrentes diruerentur, diducerenturque recto tramite, vt reliquæ sibi responderent: sed præceptis non obtemperatum. li-

cèt

cèt vetustate quassatę domus, sponteque collapsæ, & ruinosæ non restaurarentur. Cognoscebant quippè possessores negotium maximè vrgens, & conueniens esse eas demoliendi: ideo, ne operam perderent, ab illis reficiendis abstinebant.

Alterum multò grauius, vehementiúsque impedimentum Lignorum inferebat Emporium, quod in platea, veluti area, ante D. Hieronymi Illyricorum templum prope flumen peramplè habebatur: Urbs quippè hisce temporibus, continua exterarum gentium accessione maior facta, auctaque, latiora item commoda, vtilitatesque vberiores aucupabatur. Ideo & mercatura lignorum ita creuerat, vt modulum Plateæ excederet, priuataque etiam multorum loca per Ciuitatem occuparet. Accedebat platea ipsa fœdior, & inquinatior, & maximè mercatoribus perniciosa: quorum ligna, cùm locus nullo septo, neque muro ambiretur, diurno, nocturnoque latrocinio continuò subripiebantur, damno irreparabili. Custodes item non vili pretio conducti, præter prædam, quam domum conduxerant, ferè per noctem ligna igni apposita sine modo, & modestia accendebant. Itaque Mercator. proprio sumptu prædatorem alebat, nec leui vexabatur dispendio, si custodiret.

Vtrique incommodo prouisum. Primò ædium demolitione, quas rectà direxere, solo æquatas, vti hodie videre est: ita vt à via, quæ deflectendo ducit ad D. Augustini, Porta Flumentana aduersa conspiciatur: & quæ prius Ciuitas videbatur distracta, tuberum ruina in vnum coaluit. Hac via maxima delectatione Ciues affecti sunt: pulcherrima namque omnium, quæ

vmquam,

vnquam, ab omnibus iudicatur, habeturque inter vias directas, laxatasque ad hæc tempora præstantissima. Primo angulo insignia Pontificis erecta, sub quibus illa leguntur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
VIAM PRIVATIS AEDIFICIIS OCCVPATAM
DIREXIT, ET LAXAVIT.
ANNO SAL. M. DC. XIII. PONT. IX.

De loco eligendo ad ligna conseruanda, quod magis vrgebat, sæpiùs verba facta, vt, qua ratione commodior reddi posset, inueniretur. Post multorum Architectorum sententias, Mercatorumque lignorum iudicia, omnium probatissimus existimatus est, & maximè opportunus locus penes D. Iacobi Nosocomium, quod vocatur *Incurabilium*: quò, ita etiam Mercatoribus assentientibus, qui quotidiè magis proficuam mercaturam experiuntur, area lignorum translata, vsui item Ciuium accommodatior. Areâ quippè vetere hæc noua eminentior, damnis fluminis, cùm copia aquarum inundans Vrbem diuexat, minùs obnoxia est. Ora item fluminis continenti operarum ministerio iungitur, optimè ad vsus Ciuitatis disposita. Vbi enim primùm Ciuitatem Flumen ingreditur, Bubalis, qui lembos onerarios aduerso flumine deuehunt, sedes locata est. Eam excipit, quæ fœno exonerando deseruit, vbi fœnilia, & tabulata sita sunt, in quibus conclusum fœnum aggeritur. Mox sequitur locus in quo fluuiatiles lembi ædificantur, armamentisque instruuntur, vel dissipati, dissolutique reficiuntur. Deinceps Tyburtinorum lapidum locus extenditur.

tenditur. Multi ibi deuecti lapides in fornaces conijciuntur, coquunturque vehementi feruore in calcem, niuibus concolorem: quæ, cùm ex albo saxo duroq; conficiatur, in fabricis Urbis frequentibus vtilissima est, & tam publicis, quàm priuatis ędificijs abundè sufficit: eaque, cùm in promptu sit, quod primum locum in structuris obtinet, ad ędificandum multorum animi acriùs excitantur. Opportunum itaque fore iudicabatur, si locus illis contiguus, lignis vęnalibus concederetur, in quo commodissimè, ac vtilissimè negotium illud exerceri posset. Nauigia quippè leni fluuij decursu, qua si remulco abrepta, in terram tutè adiguntur. Porrò Platea Vetus lignis vęnalibus semper obruta, & iis impedita, expeditur, frumento, vino, oleo, alijsque, quę fœcundam annonam faciunt, tantùm patens: ita vt verè dici possit totam illam oram optimè partitam ad merces, quę per flumen deuehuntur, excipiendas, & portum inibi annonę aptissimum aperiri, quantum alibi nusquam.

Aream hanc, etsi auidè à multis efflagitaretur, Hospitali tamen Mendicantium S. Sixti, propter lignorum vectigal, illi à Sixto V. concessum, Pontifex attribuit. Curatores ęre Hospitalis ędificia coëmerunt, & solo ęquarunt, solum cinxere mœnibus. Hęc satis indicat Inscriptio, quę primo prospectu legitur, scilicet.

PAVLVS V. PONT MAX.
VETERE LIGNIS EXPONENDIS AREA
SVBLATA,
NOVAM MVRORVM SEPTO
MVNIENDAM
PVBLICAEQVE VTILITATI
AMPLIFICANDAM

HO-

præterquàm quòd frumentum, vinum, oleum, aliamque nobiliorem mercaturam admisit, negotiatoribus vndique certatim concurrentibus; æstate nobilissimis ciuibus oblectaméto est, qui aquarum aspectu, aërisque temperamento, animi relaxandi gratia, siue equo, siue rheda conuenientes obambulant. Magnificentissimo sumptu commoditatem auxit Marcus Antonius Burghesius Princeps Sulmonensis. Pauli V. fratris filius; qui multas ędes ęre suo coëmptas demolitus est: ita vt Platea duplo auctior, & quod anteà impedimento, damno, & deformitati, hodie summo commodo, & voluptati sit.

Huius ornatus Regionis quodammodo inchoatus, vt absolueretur, via extra Portam Flumentanam, quæ ducit ad Pontem Miluium, delapidanda erat, (Glarea namq; sępius strata oneri erat, ac labori vincarum, ac pagorum possessoribus) & sicubi effossa deprimebatur, attollenda: quę tamen in medio incuruata erigeretur, vt diutiùs perduraret], oblectarerq; iucundiùs, non dissimili artificio, atq; Via, quę ducit ad Portam Viminalem, nūc *Piam*, siue *S. Agnetis*, multis ab hinc annis extructa est. Haberet item ex vtrâq; parte emissaria, per quę aquę effluerent, cloacasq; subterraneas, vt videre erat in eadem via à tépore Sixti V. & Clementis VIII. qui eius potiorem]partem veteri rudere complanauerant, decursoriis altis exędificatis, sicubi ob profunditatem vię aquę immorarentur. Opus hoc stabilierat Summus Pontifex ita exequendum: sed sumptus præparatu difficiles. Oppida quippè, quibus id onus incumbebat, antéacto tempore à sacro Purpuratorum Senatu, qui Vias curant, ab hisce solutionibus exempta fuerant. Anno verò insequenti, M. DC. XVI. alio modulo, alterius curâ inceptum, & absolutum est.

Ir. m

Item via altera extra eamdem Portam in loco,qui dicitur *Prima porta*,refecta: sicuti & Pons vetustate collapsus,& alter illi proximus murorũ vtrinq;obice decẽter aptatus ibi enim quãdoq;viatores periclitabãtur,qui,dũ flumen extra alueum planiciem illam inundabat, campis aquâ obrutis,viam, quę tutos illos ab aqua conduceret,nullam deprehendebant.

De Lęlio Biscia Urbis vicos, excisis obicibus, detruncatis angulis, latiore prospectu dirigente pernobile est Lęlij Guidiccioni Epigramma.

Roma vias Vetus obliquat,diro acta tumultu,
Postquam incensa truci tota Nerone fuit.
Roma vias Noua miratur concurrere rectas,
Postquam te Patriæ feruidus vssit amor.
Ignis vterque fuit; Romani arsistis vterque;
Ferbuit hinc pietas, ferbuit inde nefas.

Quemadmodum & illud de eodem laxante citeriorem Tyberis ripam, aliò tranlatis vęnalium lignorum impedimentis.

Sylua natat fluuio,terris excisa Sabinis,
Urbis nobilibus disposita ante locis.
Littore seponis,claustris muroque coërces,
Unde alat vrbanos assidua esca focos.
Obsita iam tignis, teritur nunc ripa quadrigis.
Iam siluestris erat,regia nunc regio est.

Pan-

CAPVT. VIII.

Pantheon vetustate nutat. Circa illud regio aquis intermortuis obruta, ideoque minùs sana. Cloacæ expurgantur. Cloaca Vetus in Valle Martia reperta. Aliæ confectæ. Earum conficiendarum ratio. A Panthei quoque plateâ, porticuque vendentium sordidæ tabernæ semotæ sunt. Sæpius illam plateam eadem incommoda passam. Martialis ad Domitianum, & Iosephi Castalionis de eâdem re Carmina.

PAntheon, Ioui Ultori à M. Agrippa erectum, decoratum ab Atheniense Diogene, pulcherimum operum, quę Roma vnquam vidit, à Bonifacio III. Pontifice Diuę Virgini, & omnibus Sanctis dicatum, quòd forma eius in speciem orbis absoluti globatur, vulgò *Rotunda* dicitur. In illud, non tantùm cùm Patroni agitur dies festus sed quotidie, vt ita dicam, varius hominum cętus pietatis, religionisque causâ conuenire: plures item æstiuis temporibus animi recreandi: in quo & consueuerant, cùm sederent, consilia capere, vel concepta euentis ponderare: de rebus item alte-

alterius geftis, veriùs, an peruerfiùs?vfu ita animum inducente,veluti arbitri cognofcere, & iudicare. Vafta moles, fubftructionefque infanæ, pondere proprio graues,cedente folo,& caufis operis fuccumbentibus, non iam, vt olim, exfurgunt, fed ima petunt,& dum firmius folum inquirunt,quod folidè excipiat,ac fuftineat onera, fe fe grauantia, obnixa firmitate non refiftente, latent fponte obrutæ,ac defoffę.Occupauit item opus immenfa ruderum vis,quæ vetuftiffimorum ædificiorum ruina, à male fano accolarum vulgo non afportata, fed superaggefta eft. Quis crederet,iam per tot gradus ad templum defcendi,per quot afcendebatur? Iam verò vetuftate præceps,temporis neceffitate victum, feque ineuitabili fuo fato fentiens extinctum, femifepultum iacet.

Ijfdem ruinis ductus aquarum, in Tyberim aquas deferendas, limumque curfu torrentium rapiendum retrò agere coacti, in fe iterum referebant: & cùm non poffent abfumere, per incertos meatuum fubterraneorum radios in vicinas domus, earumque cellas vinarias euomebant; quò fiebat,vt non fpatium tantùm Templi, fed omnis ea regio, aquarum falientium fluxu perenni immerfa, obrueretur: quę cùm non poffent expelli,immortuę peftilentiffimæ factæ,falubrem aërem venenofo halitu inficiebant. Quare incolę, domefticęluis timore abfterriti,aliò auolabant,nec Templum ipfum,veluti antea,frequenter adibant. Diuinus itaque cultus,Chriftianaque pietas eâ calamitate quodammodo intermitti videbatur.

Sæpius Architectis verba facientibus, qua ratione tantę noxę occurreretur, & quodnam præfidium iudicaretur aptiffimum,vt non tantùm regionem illam,fed &

Urbem

Urbem reliquam non minùs aquis obnoxiam suble-uaret, vsibusque incolarum redderent probatissimam. Bisciæ datum negotium à Pontifice, qui singulari cu-râ sic interceptis aquis viam aperire ad Tyberim, vt cellæ Vinariæ exsiccarentur, aggressus est. Cloacę om-nes publicæ, quæ Urbem, omnesque eius tractus, vl-trà, & citrà Tyberim, & Ciuitatem Leoninam, quasi pensilem sustinent, ab omni limosa, & turbulenta ma-teria expurgatæ sunt: vetustate in eis dirutum, sicubi erat, restauratum: vacillans & nutans, suffultum: fau-ces etiam clausæ, reseratæ: vbi deerant, apertæ. Hoc ta-men consiliū Cellis Vinarijs, ipso Cloacarum fundo depressioribus, suffecturum non videbatur: Cloacæ enim ipsæ tunc, cùm nullus Fontium vsus esset Romę, ad aquas tantum pluuias hauriendas conditæ, eoque Cellis ijsdem altiores, earum damna augere, aquarum perpluentium importatione, compertæ sunt.

Quare percommodè factum est, vt eodem tempore vetus Cloaca in Plateâ Vallis Martiæ, quam vulgus *Ripettam* vocat, inuenta sit, quæ per Viam Flammi-niam, quæ nunc *Cursus* dicitur, producta, Tyberim pe-tit, Cellis multo humilior. Ea igitur expurgata, secum vnà immortuas aquas rapuit & loca subterranea ab il-luuie, in spatijs inferioribus antea coarctata, tum verò in Tyberim illapsa, liberauit. Non dissimili deinceps artificio duas nouas Cloacas, quam maximè depres-sas, conficiendas statuere, quæ subterraneo ductu aquas Urbis in flumen transueherent: Alteram, quæ à Triuio ad *Ripettam* deduceretur, exciperetque diuer-sis brachijs aquas plateæ Columnæ, & illius viciniæ: alteram, quæ plateæ *Sciarræ*: eaque ad Pantheon pro-ducta, indeque media inter Templum, & ædes Cardi-

nalis Crescentij perueniret ad locum, cui *Vlmo* nomen, tandemque ad Tyberim: cùm prius plusculis ramis aquas, & plateæ Agonis, & S. Andreæ Valliorum, Dohanæ, aliorumque vicinorum locorum absorbuisset.

Cloacarum fundos, seu pauimenta ipsis Cellis duobus palmis profundiora, solidissimâ structurâ iuxta ripas altitudine duorum palmorum, quæ seruata proportione penderent, sternere meditabatur: & ne aquarum fluxus impediretur, in ijsdem ripis aperturas relinquendas, lateribus sine cœmentis, alioue ferrumine superaggerratis, quibus, veluti quodam ductu, aquæ procurrerent.

Et ne quid detrimenti priuatim ab hominibus inferretur, dum in Cloacas sordium omne genus immittunt; danda opera erat, vt pœnis grauissimis caueretur, ne quis aliud, præter fontium perennium aquas, quæ nulli essent vsui, in Cloacas induceret: ageretur que contra inductores, tamquam boni publici Violatores: præcipuè antiquis Cloacis ad simile ministerium sufficientibus, vt & antea sufficiebant: et si rem adeò facilem, nec consilio regere, nec æquitate tueri, qui similium Cloacarum vsu fruuntur, nec volunt, nec possunt, omnia suis commodis, non honestate metientes; & dùm priuatis ipsis benè est, an publicum corruat, nihil æstimantes: ita propria vtilitas sapientiam omnem ex animo expectorat.

Futuræ impensæ præparatio difficilis videbatur: & structura non minimum Urbi damnum afferre poterat, cùm excauandum esset in multis vijs, & ita altiùs suffodiendum, vt à nonnullis iudicatum fuerit, ædificiorum fundamétis excauationibus hisce ruinam impendere.

pendère. Neutrum tamen à susceptà prouincia animos auertebat, cùm non tanti esse existimarentur. Vna, sed maxima omnium, difficultas habebatur, quòd pecuniam, ab omnibus ad eam rem contribuendam, arduum esset corrogare, quod sæpiùs difficilius, & periculosius, quàm animo comprehendi potest, solet accidere: cùm plurimi alienis incommodis sua nituntur commoda comparare.

Perspecta difficultate, Templi planicies cum pauimento Cloacæ publicæ, quæ à dicto Templo per plateam Sanctæ Mariæ super Mineruam digreditur, librate; compertoque pondere, quantum negotium hoc perquirebat, ex beneficio, & impensis Pauli V. tanto malo obuiam itum est aquis omnibus, tam quæ Templum, quàm quæ tractus, regionesque Urbis omnes inundabant, exsiccatis. Ita vt prima Templo facies restituta, consultumque sit Ciuium incolumitati: ideo alacriores, quàm antea, illuc rapiuntur, vbi frequentioribus precibus effusis Sanctos quoq; reddunt propitiores: & cum pietatis operibus afflictos animos recreantes caloris in corpore molestias sedant.

Templi decorem, formæque amœnitatem deformabant fœdissimarum artium, quæ ibidem exercitabantur, Tabernæ ligneæ, muris affixæ: Caupones siquidem Calceolarij, Solarij, Sutores, Arcularij, Cerarij, Tonsores, Institores, atque id genus vilissimi Templum ambiebant, occupabantque tramitibus clausis plateæ faciem, adeò vt oculis Templum vsurpare cõcederetur nemini, sicut nec transeundi locus, vijs publicis vtrinque occupatis. Quare remotis tabernis Platea laxata est, & Templi facies reserata, commodiorque transeuntibus via aperta. Ea item multis ab hinc

annis Eugenius IV. interdixerat, Blondo referente, libro tertio Romæ Instauratæ, vt Templo, prospectu liberiore Ciues fruerentur, Columnarumque magnificæ moles paterent: strauitque Plateam lapidibus Tyburtinis, vt subesset omnium oculis, tolleretque spem omnem artificibus, eamdem Plateam denuò suis Tabernis occupandi. Blondi verba sunt; *& cùm ipsa insignis Ecclesia cæteras facilè superans, multis ante sæculis cel sas, quibus attollitur, Columnas habuisset, sordidissimis diuersorum Tabernis quæstuum, à quibus obsidebantur, occultatas, emmundatæ nunc in circuitu bases, & capita denudata mirabilis ædificij pulchritudinem ostendunt: acceduntque decori strata Tyburtino lapide subiecta Templo Area, & quæ ad ætatis nostræ Campum Martium ducit via.*

Hoc edictum Eugenij refert, & laudat Lucius Faunus libro quarto Antiquitatnm Romanarum, doletq; idem suo tempore non interdici, cùm rursus Artifices locum occupâssent: & Ferruccius in Additionibus ad Blondum summoperè quæritur, suo æuo rem temporibus Eugenij tantoperè inuisam denuò reuixisse, & præstructis vbiq; Propolarum, Institorumq; tabernis, & pergul s, totum Templi splendorem deformâsse. Et sanè questus horum scriptorum æquissimus est, nullo alio ad hæc tempora ex antiquis opere perfecto superstite. Similium Tabernarum ruinâ Ciues animos in hilaritatem, ac risum conuertêre, Plateam pulcherrimam à fœdissima turpidinis nota liberatam spectantes: eoque magis volupe illis fuit, dum eadem ratione cæteros Artifices, & Tabernarios in Urbe coactos fuisse tentoria referre, continereque se intra certos limi-

tes,

tes, vidissent. Promptioribus, ac magis audacibus, ne maiorem, quàm par esset, situm præriperent, viæ situm saxea quædam signa in terram defixa, cum inscriptione anni. M. DC. XI.

Hac cura Roma honores veteres agnoscit, & latiùs se se explicans liberiore solo vsa est, quod Institores illi, proprijs tantùm commodis animum aduertentes, quandoque etiam propter priuatas æmulationes, denegabant. Nec aliam ob causam summis laudibus Martialis Domitianum euexit libro VII. Epigrammate LX.

Abstulerat totam temerarius institor Urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos:
Et modò, quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatiis pila est præcincta lagænis,
Nec Prætor medio cogitur ire luto.
Stingitur in densa nec cæca nouacula turba,
Occupat aut totas nigra Popina vias.
Tensor, Caupo, Coquus, Lanius sua limina seruant;
Nunc Roma est, nuper magna Taberna fuit.

Martialem imitatus Iosephus Castalio, Poëta nostri temporis non incelebris, elegiaco carmine ad Paulum V. hæc cecinit.

Roma quærebatur, Pater optime, Flauia rursus
Tempora, & arctatæ turpia damna viæ.
Latius expositis opifex venalibus extra
Limina, surpuerat limina clara poli.
Publicaque abstulerat spatia, vt (quis credat) onustæ
Sufficeret reliquus non benè callis equo.
Vicorum fuerat bina pars imperuia rhedis,
Cùm creber vrgeret contus vtrumque latus.
Serica pendebant, & signa vtrinque tabernæ:
Vix aditum pediti semita parua dabat.
Clamauit quoties præferuidus institor irâ,
Pulsatas telas prætereunte rota.
Nec benè, per vicos iret cùm Pompa frequentes,
Vexillis vllus trames apertus erat,
Turma tuum, Princeps, cùm clauderet agmen equestris,
Hastas submitti pertulit ægra suas.
Pro sancta ligneam piscarius æde tabernam
Struxerat, vt Templi venderet ante fores.
Indignum facinus nequáquam Agrippa tulisset;
Nobile qui templum condidit ære suo.
Sed simul atque tuo Curator Biscia iussu
Edixit populo rite pateret iter;
Prodiga continuò vidisses signa reuelli,
Et ruere admota tigna recisa manu.

Quis-

Quisque suum iussus, se se, & sua continet intra
Limina, & è foribus iam resilire timet.
Publica priuatis nemo non commoda præfert:
Luminibus iam nil officit, atque viæ.
Esseda nunc passim cernas occurrere bigis:
Nil porrò cursum, quod remoretur, erit.
Vestibulum Agrippæ veteres agnoscit honores,
Prospectu & fruitur liberiore dato.
Explicat emporio latè se se area moto;
Te facies laudat reddita prisca loco.
Atque agit ipsa tibi grates, Sanctissime Paule,
Roma, quòd exuerit vindice Te senium.

CAPVT. VIII.

Tyberis extra alueum effuſus Vrbem vexat, Pontemque Senatorium perfringit. Pontis Fabricij faucibus adapertis commeatus ex Tranſtyberina regione expeditiores redditi ſunt. Scalæ ad Tyberis ripam factæ, negociatorum vſibus opportuniores. In Tranſtyberino tractu pleræque Viæ, tum laxatæ, tum directæ: & in eo exornando Biſciæ Studium: Principis magnificentia. Leonina item regio, varijs noxis abactis, ſalubriore aëre vſa eſt. Fontes varij in Ciuium commoda vbiq; exſtruuntur. Alia denique Urbis ornamenta recenſentur.

ANno M. D. LXXXXVIII. ventis aduerſis, vehementiùs gliſcentibus, immoderata etiam tempeſtate, & imbriũ copia, Tyberis, exundantibus fluctibus alueum indignatus, ſæuire cæpit in Urbem, eiuſque ambitum; atque intumeſcens maximâ omnium pernicie, ædificia deleuit, fruges perdidit, animantibus nocuit, homines quàm plurimes extinxit: multas item frumentarias Molas, quæ,

vt Romæ vſus eſt, alueo fluminis innatabant, eatenis diuulſis, diſtruptiſve vnà ſecum abſtulit, & ad Pontem Senatorium, vulgò *Sanctæ Mariæ*, deductas ita ſimul conſtipauit, vt, aditu aquis intercluſo, aliam ſibi viam Tyberis faceret retroactus, fuſuſque gurgitibus vagaretur. tandem, quaſi puderet valentiori cedere, repulſam haud ferre paſſus eſt: quare vehementiùs iratus, aſper, atque horridus, aquis, veluti machinis bellicis, Ponti adactis, vi illum, in vetere tamen parte, perfregit.

Malum hoc ad ſalutem Ciuium tunc conuerſum eſt: hiatu quippè illo, veluti flumini faucibus adapertis, immenſa aquarum copia eructata, vaſtæ maris voragini gurgites immerſit, & pacatior factus, in ſuum ſe ſe alueum contraxit. Mercibus tamen, quæ à mari per fluuium aduehuntur, non æquè benè ceſſit; dum enim diſtribuebantur per Urbem, non recto tramite, ſed multis viarum ambagibus erant aſportandæ; commercia prohibebantur: & cùm in eam regionem acceſſus maximè arduus videretur; partem Urbis non contemnendam, benèque merentem homines deſpicatui habebant.

Qua ratione aquis dirempta commercia reſtituerentur, agitatum eſt: illud tanquam commodiùs probatum. Pons Fabricius, hodie *Quattrocapi*, capax alioquin, & amplus, multis ædificijs vtrinque ante ingreſſum miſerè occupatus, & lapidum in eo ſtratorum aſperitate rebus conducticiis arduum ſe præbebat. Is itaque eiuſmodi mollitus eſt. Ædificia priuatorum, aditus Pontis impedientia, funditus deiecta, & obluctantia ſaxa delinita: ex ea namque parte, qua Urbem reſpicit, omnia Iudæis propinqua ædificia

enormitatibus exturbatis,recta cum ponte exædificata sunt; Portaque Iudæorum retroacta, super quam Insignia Pontificis,breuisque inscriptio posita est.

PAVLVS V. PONT. MAXIMVS.
ANNO VI.

Pari ratione parte aduersa nonnullæ ædiculæ deiectæ, directæque, vnde quasi alæ ingressum Pontis aperiunt,qui largioribus, amplioribusque brachiis iucundissimè aduenas excipit, secus atque antea : tunc enim minimo quoque impedimento, siue plaustri,siue animalis, siue alterius rei ab ingressu reliquos arcebat.

In altera parte,vbi Pons desinit, cùm structura solida esset comperta,quæ arcubus obnititur, & in ipsis Insulæ visceribus magis lata Pontis fabrica extenditur, exploratoque optimè fundatam esse, ac tutam, nouæque fabricæ sustinendæ aptissimam; pila stabilis, quæ viæ planiciem æquaret, constructa est, & mutulis è lapide Tyburtino murus illius arcus auctus, sicque ala extensa est versus Ioannis Calybitæ Templum,nunc *Fatebenfratelli* , non minus quàm pars altera,quæ Urbem spectat, ingressum commodiorem exhibens.Hîc verò in pilula quadam, quæ quasi meta Pontem discriminat, sub Insignibus Pontificis talis legitur inscriptio.

PAV-

PAVLVS V.
PONT. MAX.
ANNO SALVTIS
M DC XI.

Scilices item vtriusque Pontis molliti sunt; traiiciendis mercibus probatissimi. Et cùm dies festus D. Bartholomæi anniuersarius celebratur, ludis certaminibus, ac mulierum, virorumque conuentu celeberrimus, facilis regundis rhedis, ne alter alteri impedimẽto sit, modus hic esse poterit. Diuidantur rhedæ, ordineque quodam vna aliam sequatur: euntibus vna pars Pontis, altera venientibus detur: etenim platea expãsis brachijs cùm viam exæquat quadratis lapidibus stratam, commodè aduenientes excipit, euntes reddit: vbi primùm non nisi maximis tumultibus, etiam sanguine, & cæde aliorum, non poterant expediri. Prouisum etiam peditum misellę cateruę, paruis muris ad lęuam partem plateę ductis, columnisque ante fores ecclesię erectis: sic enim tuta à rhedis, & animalibus cœptum iter intendit.

Pontium itaq; incommodis, ruinęque Senatorij hęc medicina tempestiua reperta, qua omnis ille tractus, multis difficultatibus obstructus, in meliorem faciem redijt, & quidquid mercium ductus impediret, retardaretve, amotum. Vt gratior negotiatoribus fieret, extruendus erat locus, in quem Cymbę onerarię, dum appellerent, faciliùs merces exonerarent. Is etenim paulò ante eiusdem fluminis incrementis corruerat. Ad ripam ergo fluuij binę scalę latę, & commodę ędificatę sunt coctilium laterculorum spicato opere, lapidum

dum Tyburtinorum petizonijs interſtincto, quæ ad Cymbas vſque perducerent: ab illis vnicuique datum eſt, curribus etiam conductitijs, merces conuehere: ibi namque Areola eſt ſaxis antiquo æuo, nec leuiter quidem è terra eminens, ſubſtrata, mercatoribus maximo vſui. Muri, qui ſcalas ab aquis defendunt, colligandis nauibus deſeruiunt: in inferiori parte Inſignia Pontificis, Populique Romani conſpiciuntur, ſingulari, exquiſitaque Curatoris prudentia, qua & Romana dignitas, & delitiæ copioſo Lemborum aduentu, & copiæ mercium ſemper noua acceſſione adauctæ cumulatæque ſunt. Eò namque Mercatores conueniunt, vbi ſibi commodam, lucroſamque operam eſſe cognoſcunt.

Hiſce commoditatibus pellecti negotiatores, & nautæ, impensè inſtabant, vt facultas ſibi daretur ad D. Franciſci, cuius Religioni celebri conuentu pij homines, *Fratres Reformatos* nuncupant, obſtrictos ſe ſe fatentur, adeundi: vbi Deum pijs, integris, & mente, & voce venerarentur. Urgebant vehementiùs ſibi deberi aditum: Templum etenim hoc ita proximum videbatur, vt penè dixerim manibus tangeretur, nec niſi viliſſimâ ſepe Templi introitus interpellabatur, quò ſi accedere in animo eſſet, latebroſo viarum errore acceſſus parabatur. Horum votis indultum eſt, viâ à Ripa fluminis, horto dictorum *Fratrum* inſiſtente, ad Eccleſiam ipſam apertâ, mirum in modum omnibus præ gaudio geſtientibus.

Hoc item in cauſa fuit, cur Paulus V. ad totum illum tractum Tranſtyberinæ regionis decorandum, nobilitandumq; munificentiſſimè, profuſiſſimas egit impenſas: quando non riuos, ſed torrentes aquarum,

& flumina in excelsiores montes conduxit, vt fluerent: in eam quippe gratiam facta hæc omnia videbantur. opus sanè adeo difficile adeo artificiosum, & præclurum, vt nostra ætas nusquam viderit laudabilius.

In eius ornatu cùm adhuc vehementiùs insisteret; illud minimè alienum à dignitate perfectissimi operis æstimatum est, si prospectu, coniunctioneque consuetudinis vnà simul Templum Frãcisci, & Monasterium Callixti, eorumq; asseclę hi Benedicti, illi Francisci, congrederentur, vt qui animis coniunctissimi erant, oculis alter alterum non auersaretur.

Situs itaq; nonnulli terrarum intersecti sunt; quorũ planicies æquatæ, vtrisque partibus sepibus obseptæ, omnia denique perfectissimè absoluta, vt directè, inoffensè, latèque diffusâ, & patescens prætereuntibus via daretur. Propè Callixti Templum muri leuissima pars eminebat, Senatus Romani, Populique conuentu deiicienda: qui data opera tum mane ad Templum conuenit, innumero nobilium, plebisque comitatu: rem enim prius animo conceptam quilibet exoptabat oculis etiam vsurpare; ideoq; summo nisu properauit, eòq; & Sodales D. Francisci paulò ante longo, discretoq; ordine, cruce præeunte, accesserant. Vbi conuentum est, tubis canentibus promptissimi ad rem artifices, murum demoliuntur, rudera deferunt, viam aperiunt, tuncque primùm vsus illius viæ concessus, per quam Senatus, Deum laudantium piorum ordinem secutus, ad Francisci deuenit; quem Calice, Patena, & quatuor Cereis albis donauit.

Via hæc optimè cesserat summo omnium Ciuium oblectamento, apprimèque proficua mercibus, quæ

à Ripa

à Ripa deueniunt, cùm per illam ad Pontem Sixtum rectà ducatur. Auxit item hominum deuotionem, cùm commodior ad dicta Templa aditus pateat, maximèque delectat eos, qui animi recreandi gratià per illa loca deambulatum eunt. Ideoque duę alię vię annexę sunt, altera, quę patentior, directiorque à Porta Portuensi ad D. Cęciliæ ducit, altera, quę ab eadem porta ad plateam S. Francisci peruenit, quę vlterius inducenda erat ad Horrea vsque, quę post Nosocomium Ligurum assurgunt. Instruenda item erat via altera, tantùm ob sępium ambages obliqua, vt directa duceret à Templo D. Francisci ad Plateam Transtyberinę regionis, quę *Romana* dicitur.

Hisce Viis apertis cœlum salubrius redditum, & conuentu hominum frequentiore, & deambulationibus, & loci amœnitate; ita vt nullo alio tractu inferior iudicetur. Ideo breui multa ędificia exstructa sunt, magno locorum dominis emolumento, qui hortorum diuisione ędificandis ędibus sedes aliis locàrunt: & plures creuissent, si nonnullorum locorum piorum Curatores non cęcutissent, oblata commoda ab iis, qui ędes ędificare cupiebant, respuentes. Senatus, Populusque Romanus totum hoc Inscriptione ita expressit.

PAVLO V. PONT. OPT. MAX.
QVOD VRBEM AVGVSTISSIMIS
TEMPLIS
ET AEDIFICIIS ILLVSTRAVERIT.
TRANSTYBERINAM REGIONEM
VBERRIMIS
RIVIS EX AGRO BRACHIANO
SVPRA IANICVLVM DVCTIS

IRRI-

IRRIGAVERIT.
NOXIIS OLERVM HORTIS IN POMARIA
DOMOSQVE DISTRIBVTIS
COELO SALVBRITATEM REDDIDERIT
PRIVATORVMQVE CENSVM AVXERIT.
VIIS QVA APERTIS QVA AMPLIFICA-
TIS DIRECTISQVE
INSIGNIA SS. BENEDICTI ET FRANCI-
SCI MONASTERIA
PORTAMQVE PORTVENSEM IN
NOBILIOREM
PROSPECTVM DEDERIT.
EXPEDITO VTROQVE FABRITII
PONTIS ADITV
ET SCALIS AD TYBERIS ALVEVM
DEDVCTIS
CIVIVM PEREGRINORVM NAVTARVM
COMMODIS CONSVLVERIT,
S. P. Q. R.
PVBLICIS AD DEVM VOTIS ATQVE
MVNERIBVS
FELICITATEM PRECATVR.
PAVLO ALBERINO,
TYBERIO ANIBALDENSIS DE
MOLARIA COSS,
PAVLO BRVNO,
LVDOVICO GABRIELLIO, CAP.
REG. PRIORE
ALEXANDRO MVTO
LAVRENTIO ALTERIO.
AE. D. D. CVRR. M. DC. XI.

Dum

Dum illustrandæ parti Transtyberinæ incumbitur, aliæ aperturę duę Viarum laxatę sunt, ad aquam in summitatem Montis Ianiculi conductam à Paulo, conspiciendam. Maior inter Portam Septimianam, & Monasterium Fratrum Discalceatorum Sanctę Marię, quę dicitur *Scalæ*, excurrit. Minor lateri dicti Monasterii inhęret. Hęc veriùs dici potest vię grandis pars, quam à Ponte Sixti, ad conspectum pręclarissimi, ingentisque Fontis, patescere destinatum fuerat.

Et dum hoc iter, quo ducimur ad Montem Vaticanum, continuatur, in Ciuitate Leonina ante Templum Spiritus Sancti in Saxia, vbi vicus quidam ita coarctabatur, vt rhedarum vnam tantùm ęgrè admitteret: & dum stati, solemnesque dies, & cęremonię Pontificum in D. Petri celebrantur, rhedarum abundans locuplesque copia ne excurreret, loci angustiis intercludebatur. Nec habebatur honestum, Summum Pontificem per Vicum illum necessariò iter arripere, cùm ad Transtyberinas partes, & quam dicunt *Longaram*, commeabat, aliâ viâ aditum non suppeditante. Quare nobilis, largiorque via laxata est, latitudinis non mediocris, vt videre est, maximo omnium vicinorum commodo.

Eadem necessitas à Burgo Nouo in Burgum S. Angeli transmeandi fuit in causa, cur sectio illa mandaretur, quę tandem anno M. DC. XVI. à Carceribus per latus Ecclesię, quę nuncupatur *Transpontina*, & subter viam pensilem, & arcanam, quę à Vaticano in Arcem ducit, pręstita est. Per quam etiam aditus melioribus, salubrioribusque, & purioribus ventis datus, quorum dulcedine incolę perfruuntur.

Id com-

Id commodum homines, quibus salutis nulla cura, dum firmis confisi viribus corporis, cum morbo contendunt, nec animaduertisse quidem uisi sunt: sed cum postmodum ad arcem muniendam incumbitur fossarum excauationibus, nouisq; repagulis aquæ in Tyberim fluentes, suo cursu retardato, otiosæ perierunt, & glebis resolutis, herbarumq; culmis, ac frondibus, rebusq; alijs computrescentes, veluti pestilenti quadam lue, totum illum regionis tractum afflârunt: ideo non multo post accolæ impuriorem spiritum, & causas cœli grauiores, & aërem Vaticanum noxium experti, infractis viribus torpescere, obtusisq; artubus cadere, tandem ingrauescente morbo vitam ponere, & reliquis in Vrbe sanis, illi solùm vario ægritudinum genere conflictari. Venenum auxere Paulæ aquæ ductus diffracti, quorum negligentiâ Cellæ subterraneæ, intermortuis aquis, cùm remoueri non possent, oppletæ sunt, &c. si quid erat purioris spiritûs reliquũ, infecere. Hinc multò crebriores in vulgus mortes: nec minùs hoc tempore, quàm prisco æuo aër Vaticanus infensus. Cœptum est tanto malo mederi, nondum perfectum: quod vt oportuniùs fieret, & præcipuè, vt Palatium Apostolicum incolume seruaretur, nemus in Hortis Pontificijs, arboresq; ætate graues, quas nulla cæciderat ætas, seuera securis folijs ramisq; nudauit, informibus tantùm truncis pepercit.

Arcis item propugnacula fossâ, valloq; munita, tutiora reddita sunt, extra fossis ipsis excauatis, purgatisq; intus verò retractis, quæ munitionis situm occupauerant; latitudine centum pedum quaquauersum restituta.

Penes Arcem in eo angulo, qui viam Burgi veteris

E ab

ab eâ,quæ ducit ad Spiritum Sanctum, diuidit,domus præter omnium spem subito exusta est. Ea primùm Cardinalibus, aluei Tyberis Curatoribus opportunū, & necessarium visum fuerat, vt euerteretur. Dum enim Tyberis inflatus, pratis inundatis, iterato fluxu in alueum magno æstu concitaretur, domum illam diuerberabat; refracti fluctus impetum remittebant, segnioresq; in pratis stagnantes diutiùs immorabantur, vel altiùs sublatos in nodum offensa loca reuomebat, ingenti rerum omnium iacturâ. Hinc arreptâ occasione complanata est, Areolæ non iniucundæ locum cedens, qua rhedis concurrentibus aditus facilior patuit, alijsq; commodis magnoperè suffecit.

Propè eundem locum magnæ voragini prouisum est, quæ ante Burgi catenas, Cloacæ enormis, omnes illius regionis aquas haurientis,ruinâ hiauerat. Necessum quippe fuit, Cloacâ reædificatâ, illam non leui sumptu implere.

Maximum præterea Ciuitati Leoninæ decus addit magnificentissimum D. Petri Templum, à Paulo V. auctum,absolutumq;, cuius anterior pars,non minùs atq; partes interiores, omnibus ornamentis instructa est, magnitudine æquè conspicuâ. Vberrima item aquarum vis, quæ sese in Montem Ianiculum deijciunt, & in Palatio Pontificio Vaticanos hortos largissimè irrigant. In Platea ante D. Petrum Fons magnus, exquisitissimo artificio, lusibus elegantissimis erumpens: quem dum procul aspicis è planicie terræ, montem glacie tectum, vel immensum aliarum super alias aceruatarum niuium cumulum in cœlum assurgere,dices. Neq; minùs in delicijs habetur alter pulcherrimus item, & artificiosus ante Sanctum Iacobum,

bum, qui vocatur *Scoſſacaualli*. His licèt inferior magnitudine, pulchritudine tamen par, penes Arcem in angulo videtur, cui appoſita leguntur,

PAVLVS V. PONT. MAX.
REGIONEM LEONINAM
PERENNIVM AQVARVM INOPIA
LABORANTEM
AQVAE AB SE IN VRBEM DEDVCTAE
VBERI DISPENSATIONE
VARIIS FONTIBVS ATRIBVTA
LOCVPLETAVIT.
ANNO DOM. M.DC. XIV. PONTIF. X.

Quæ inſcriptio concinna quidem, & pulchra, ſi quamquam pro *Perennium Aquarum inopia*, aptiùs dixiſſet, *Perenni ſalientium aquarum ſcaturigine*. Quis enim nō videt per eam regionem ipſas Tyberis aquas tam affluenter perennare?

Conſpiciuntur & alij plures Fontes nuſquam non in vſus Populi fluentes, quibus & Ciuitas Leonina, & via, quæ *Longara* dicitur, illuſtrantur. Digniſſima omnia quæ perpetuis monumentis mandentur; ſed ſcriptori alia mens, aliudq; propoſitum. Tantum enim illa ędificia, atq; ob opera oculos ponere, quo ad fieri potuit, fuit in animo, quorum negotium à Pontifice Biſciæ datum fuerat, cùm Viarum, aquarumq; Curator, Ciuium commodis inuigilabat. Cætera fortunatiore auſu, atq; elegantiore ſtylo ſcriptor luculentiùs litteris conſignet, ad memoriam poſteri temporis ſempiternam. Caput concludent de his ijſdem rebus præclara Franciſci Rogerij Romani

Philosophiæ Moralis in Romauo Gymnasio Profes-
soris Epigrammata.

I.

Fons vetus Aegeriæ, fons legum, Roma, tuarum;
Nempe ferunt leges hinc habuisse Numam:
Fontibus ex illo num tempore gratia durat,
Debitus & Nymphis ritè perennat honos?
LAELIVS ecce nouos Fontes, quibus irrigat Vrbem,
Clarius è titulis Principis ire jubet;
Marmoreoq; lacu decorat, conchaq; superba,
Artis & argutá ludere mente docet:
Nullum illusuris tamen expiscatur ab vndis
Consilium; quid enim non leue nympha sonat?
LAELI victa Numæ tibi gloria; te dare leges,
Te dare Romauis jura videmus aquis.

II.

Se cernens in fonte, sui Narcissus amator
Factus, & in gelidis ipse sibi ignis aquis;
Fabula: non aures fugiat tamen illa seueras,
Quæ multum arcanæ fabula mentis habet.
Nullus amor sine notitiâ; sine imagine nulla
Notitia est: testem pulchra decoris amant.
Innumeris, LAELI, decorâsti fontibus Vrbem,
In quibus inspectans se sibi Roma placet.
Ipse tibi placeas; in aquis tua fulget imago
Non leuis; hanc etiam laudibus adde tuis.

Publica

Publica te populo commendat cura decoris,
Officijq; sagax, ingenijq; fides.
Ni maiora trahant, virtus tua Fontibus istis
Se probat, heic vultus ardeat ipsa suos.

III.

Fabritij fauces aperit dum BISCIA Pontis,
Roma, tua est, dixit, gloria, Tybri, minor.
Tu præbes iter obliquum properantibus vndis;
Laxatas populo dirigit ille vias.
Tu violentus, atrox, aliena inuadere gaudes:
Illi iustitiæ sanctus vbiq; tenor.
Tu pater Heroum: heroicis virtutibus ille
Insignis. semper tu fluis: ille manet.

IV.

Romanosne rigat campos, an seuus inundat
Tybris? alit famam, BISCIA, magne, tuam.
Diruit, ædificas: deuastat, pulchrius Vrbem
Instauras: damna hæc quis pretiosa neget?
Vt tibi tantarum veniat seges aurea laudum,
Tybridis immensis Roma rigatur aquis.

V.

Tybri, tuæ quod lætus amas commercia ripæ,
Qua per conspicuos itur ad alta gradus,

LAELI munus habes; quid opus sublime, nouumq;
Miror? ad exemplar condidit ille sacrum,
Pectoris exemplar proprij, quo se ordine pulchro
Per varios laudes disposuere gradus.
Quicunq; ædificat, mores in mole resignat,
Ipsa iubet mores discere saxa suos.

VI.

Formosam PAVLVS, validam mox reddidit Vrbem
VRBANVS; dignum Principe vtrumq; decus.
Tu quoq; dignus eras, LAELI, quem ornaret vterq;
Princeps: à PAVLO Roma colenda data est;
Fulget ab VRBANO tibi dedita purpura: merces
Non alia excultæ dignior Vrbis erat.

CAPUT. X.

Lelij Biſciæ ex Clerico Camerali, nunc S. R. Eccleſiæ Cardinalis Elogium: in quo veluti in tabula diſtinctè ea enarrantur, quæ ipſe, dum eſſet Præſes Viarum, Aquarum Curator, Annonaq; Præfectus, juſſa Principis capeſſens, incæpit, & abſoluit.

LÆlius Biſcia Patrem habuit Bernardinum Biſciam Iuris Conſultorum ſui temporis in Romanâ Aulâ facilè Principem. Iunior in Aduocationem Conſiſtorialem Patri ſucceſſit; primum vtriuſq; *Signaturæ*, vt vocant, *Referendarius*, mox in numerum Clericorum Cameralium adſcriptus. Clementi VIII, aliiſque Summis Pontificibus, ob morum præſtantiam ſingularemq; prudentiæ, & ingenii vim, intimè carus, eorumq; conſiliorum particeps. Clarus literis, induſtria, vigilantia, atq; integritate præſtans, vniuerſæ Reipublicæ maximo emolumento fuit. Præſes Viarum ſub Paulo V. ſummam curam adhibuit, vt tota Vrbs, viarum anfractibus, ſordiumq; illuuie ſqualens, meliorem faciem indueret. Quippè, eo Curatore, Emporio lignorum è regione Sancti Hieronymi Illyricorum in locum opportuniorem tranſlato, Area illa penes Ripas Tyberis, Viaq; à Vehiculorum, Nauta-

rum, Baiulorumq; omnia obsidentium, concursantiumq; frequentia vindicata est. Via cognomento *Scrofæ*, arcta flexuosaq; qua neq; commodè pertransire, neq; stare multitudo poterat, cùm Cardinales ad purpureum galerum suscipiendum, vel Regum oratores ad spondendam obedientiam cum comitatu, pro tanta dignitate splendido, per eam obequitarent, laxata, directaq; ad æquam normam. A Panthei vetustissima Templi platea, Porticuq; vendentium sordidæ tabernæ submotæ. Aquæ, totam illam regionem, vicinasq; domos meatibus subterraneis perfundentes, fluxuq; obruentes perenni, exsiccatæ. Via in Tyberim, Cloacis ab omni sordium cōgerie expurgatis, aperta. Quirinalis cliuus, hinc & illinc ædificiis exturbatis terraq; semota, ad ascensum delinitus; ita vt Aulicis, Ciuibusq; omnibus Palatium commodè adeundi copia facta sit: variis item vndiq; Viis, quà directis, quà dilatatis. Castellum, ad recipiendam aquarum Felicium copiam, in Hortis Columnensibus satis amplum, arcuato opere, exstructum, quo aquarum vitia emendarentur: cuius iam ope, sua cuiq; aqua, cum fraudi nullus locus sit, nec ab alio possit intercipi, potiri tutò licet. Hac ratione aquæ publicis fontibus, vel priuatis dilapsæ, vel subreptæ, & ductuum antiquitate pereuntes, largiore, quàm antea, copia, restitutæ. In Transtiberina regione vbertimis riuis ex agro Braccianensi, iam anteà supra Ianiculum ductis, irrigata. Noxiis olerum hortis in pomaria, domosq; distributis diuersæ Viæ apertæ, laxatæq; sunt. Insignia SS. Benedicti, & Francisci Cœnobia, Portaq; Portuensis in meliorem prospectum data. Expeditus vterq; Fabricii Pontis aditus. Scalæ

ad Tybeɾis alueum deductæ, quibus commeatus ex Vrbe in eam regionem expeditiores redduntur. Inaccessus Montis Auentini ascensus, dilatatus; mollitus. Aliæ præterea viæ, quas hîc recensere longum esset, quæq; antea non patebant, silicibus stratæ, ac directæ, quo Summi Pontificis in Vrbe exornanda studium, ac magnificentia innotuit.

Biscia rei frumentariæ Præfecto, maxima annonæ vtilitas consecuta; illius namq; difficultati maxima solertia occurrebat, & ne populus affligeretur, dum summa inopia ob assiduas sterilitates immineret, tam maturè frumentum à Prouincialibus, externisq; exegit, vt in caritate summa, summa abundantia populus frueretur, pretiumq; omnibus vtile, semel impositum, aliis verò in locis sæpius ad portentum vsq; adauctum; neq; aduersa nauigatione, neq; emptore, neq; mancipe præualente, nusquam fuerit immutatum: exauctoq; frumento, laxiore reddita annona, non solùm Romanæ, sed vicinis etiam regionibus abundè frumenta suppeditauit. Aes alienum rei frumentariæ causa, ab iis, quibus id munus anteà incubuerat, contractum, quingentis aureis millibus erogatis, prouidè dissoluit: nec passus est vnquam Operariorum labores suo pretio fraudari; quin omnibus opem tulit, quà consilio, quà nummis collatis, ne pretii vilitate, fortunarū paterentur iacturam, vel absterriti in posterum in frumentario munere ab opere discederent. Sic item alimenta, pabula, aliasq; res annonarias, nullo expostulante, prudentissimè subministrauit; neq; permisit vnquam res vænales vllo fuco adulterari, nec flagellari pretii enormitate. Nulla noxa obstricti Tabernarii æqua lance emptoribus alimenta dispensabant;

dicto quippè illius, à quo patrocinia sibi omnia ab oppugnantibus promittebant, audientes, scelus esse existimabant, si quam ille fidem summo Principi incorruptam seruabat, ipsi fallerent; offenderentq; illius animum, cuius industria, atq; auxilio sua tuta esse apertissimè dignoscebant: Itaq; communis is erat omnium consensus, dum iudicem æquum habebant, vt æquos se etiam emptoribus præberent, suumq; vnicuiq; præstarent.

Tandem primas obtinens in Camerali Collegio, à maximo omnis æui Rectore Vrbano VIII. & fessis jam rebus subueniente ad maximas administrationes, atq; negotia Ecclesiastica destinatus, nec ita multo post in Purpuratorum Patrum numerũ Tit. SS. Viti, & Modesti adlegitur. Nunc Diuinæ Scripturæ studium, quo veluti assiduo pabulo animum alere consueuit, nec minùs Sacrarum Legum, atq; humaniorum litterarum continuò amplectitur, vt bene de se meritis gratam operam præbeat, sociis, externisq, vtilem, saluti & fortunis omnium accommodatam; &, quod illi apprimè in consiliis semper fuit, vt Summi Principis expectationi respondeat, celeriterq; obeat, & ex sententia, quæ ab eo sibi munia ad publicam rem assiduè demandantur. Bartholomæus Tortolettus, ex intimis & familiarissimis vnus, Bisciam à Republicæ curis grauioribus ad amœniora studia Ode delicatissimâ adhortatus est.

Felici-

Felicitati, BISCIA, publicæ
Sat militâsti, molibus arduis
Satis laborâsti creandis:
Nec populos aluisse duris
Laudum tuarum est vltima casibus.
Sat Roma nomen concelebrat suum;
Experta virtutes, & æquum
Eximijs modicisq; amorem.
Nunc est quietis tempus. & ordine
Tractanda verso vita: reciprocas
Dimitte curarum procellas,
Atq; tibi sine mole viue.
Id suadet ætas grandior, & decus
Prædestinatæ nobile purpuræ:
VRBANVS id cauit profectò,
Pondere Te ut nimio resoluat.
Industriosum cùm tamen otium
Potes pacisci, & fallere inertiam;
Aut Romuli, aut legum Solonis
Sylua tibi speciosa præsto est.
Patent Platonis dogmata, litteræ
Patent beatæ Numinis optimi:
Quandoq; nec molles Camœnas,
Nec fugitas Heliconis hortos.
Est cuiq; rerum nam sua gratia.
Vsuq; nullus deseritur liber.
Quoscunq; per flores vagatur,
Libat Apis pretiosa mella.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pag. 7.	lin. 7.	Procæres *lege*	Proceres
	8	acclamatam	acclamatum
17	2	MAGNIFICEN. TISSIMO	MAGNIFICEN. TISSIME
18	17	deffet	deesset
	29	ardoris	arduis
20	vlt.	COLABS.	COLLABS.
23	6	ontis	Pontis
26	14	ſſn minus	ſin minus
27	17	Mommolo	Mammolo
	20	Brucardi	Bucardi
30	4	quacmmque	quacunque
	22	manſiones	manſiones
33	14	conſenſioni	conſenſioni
	25	cut	cur
35	24	ſſve	ſine
	30	impeeſis	impenſis
36	12	enorminates	enormitates
	29	aaud	apud
37	26	adaperti	adapertis
39	penult.	propetant	properant
40	27	inſummunt	inſumunt
41	7	plalea	platea
42	15	:ndicia	judicia
43	24	ſcilſcet	ſcilicet
45	18	oblectarerq;	oblectaretq;
	19	artifeſo	artificio
46	18	tranlatis	translatis
47	22	Bonif III	Bonif IIII
50	12	ſuperagerratis	ſuperageratis
	19	inductores	violatores
	26	nihil	nihili
51	25	Solarii	Solearii
52	11	emmundatæ	emundatæ
53	2	fitum	ſitum
	penult.	Tenſor	Tonſor

54	9	limina clara	lumina clara
	10	quis credat	quis credat?
	12	bina	bona
57	2	diſtruptis	diſruptis
61	4	præclurum	præclarum
	24	diſcretoq;	diſcretoq;
62	2	ducatur	ducantur
	7	Portuenſi	Portuenſi
	11	ſæpium	ſepium
63	24	TYBERIO	TIBERIO